ait, nonnihil injuriæ irrogari sacramento, & si uterque contrahens frequenter amentiam pateretur, forsan esse mortale. Limitat *Sotus*, nisi per alias conjunctas personas prolis educationi satis consuleretur. Sed *Petro de Ledesma* non videtur hæc limitatio ita certa, eo quod educatio illa munus est parentum. Mihi vero placet moderatio Soti, nam ex causa justa id munus alii committi potest, qualem esse parentum amentiam, nemo dubitabit; & si dicas: Abstineant a matrimonio contrahendo: durum est ipsos ad vitam continentem astringere, & maximeme si gravibus carnis stimulis tempore fanæ mentis urgeantur.

19 Ex dictis infertur, quid de ebrio dicendum sit? is enim si ebrietatis tempore contrahat matrimonium, aut sponsalia, nihil facit: quia consensu libero, & debita deliberatione caret. Sic *Henr. c. Dilectus, de sponsi. n.4. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 19. ante §. 1. Covar. 4. decr. 2. p. c. 2. n. 9. Greg. Lop. l. 6. t. 2. p. 4. verb. Et que fuese*: quod a nemine negatur, si intelligatur, prout *D. Anton. Covar. & Greg. Lop.* intelligunt, quando ita ebrius est, ut rationis usu orbatus sit.

20 Non immerito tamen dubitabis, quid dicendum sit, si ebrius, & demens tempore fanæ mentis voluntatem habuerunt contrahendi sponsalia, aut matrimonium, eamque tempore ebrietatis, aut dementiæ exequantur. Posset enim aliquis existimare valida esse: quia baptismus eo tempore collatus, validus esset propter voluntatem præcedentem. Et fortius urget, quia non deficit deliberatio requisita ad peccatum mortale: homicidium enim tunc commissum si tempore, quo sui compotes erant, præsumum esset, culpa lethalis esset. Dicendum tamen est non sufficere eam voluntatem, nec est simile de baptismo, nam in matr. & sponsalibus ipsi contrahentes sunt ministri, & actus ministri necessario debet esse humanus: sicut si aliquis sui compos audivit confessionem, & factus insanus absolveret, nulla esset absolutio: & similiter si tunc baptizaret, quamvis ante id in animo haberet, irritus esset Baptismus. Non obstat etiam mala prævisa imputari tunc ad culpam, tum quia bonum ex integra causa, malum autem ex singulari defectu, teste *D. Dionysio c. 4. de div. nom.* Unde cum sponsalia, & matrim. sint quoddam bonum, exigunt plenam libertatem, at peccatum cum malum sit, satis est in sua causa sit volitum: tum præcipue, quod cum homo teneatur vitare homicidia, & alia peccata, eo ipso, quod sciens se in ebrietate illa admittere, & cum possit, non curat ea vitare, indirecte, & virtute ea vult: at cum non teneatur vitare sponsalia, & matrimonium, non censetur voluntas virtualis circa illa. Sic *Ledesm. 2. p. 4. qu. 60. art. 3. Veracruz 1. p. spec. ar. 41. concl. 5. Petr. de Ledesf. de matr. q. 58. art. 3. dub. 1. Matienzo lib. 5. recop. t. 1. de rubr. gloss. n. 208.*

21 Hinc infertur, ad sponsalia & matrimonium non sufficere voluntatem virtualem. Sic *Angles* in quodam simili docet *floribus 2. p. q. 1. de voto, a. 1. diffic. 3. concl. 4.* ubi ait votum emissum ex simili deliberatione irritum esse: ac proinde idem diceret in sponsalibus, eadem enim deliberatio ad utrumque desideratur, ut dixi in hac disp. n. 5. & probat, quia si is, qui sciret, dum ebrius est, multa se emittere vota, & libere inebriaretur, haberet virtualem deliberationem vovendi, & tamen vota essent nulla, sicut si sciret se perpetrare homicidium & inebriari vellet, virtute eligeret ea homicidia. Sed dicendum est sufficere virtualem voluntatem, qua sponsalia sunt volita in se, unde dispar est ratio de homicidio volito ab ebrio, quia tantum est volitum in sua causa prævisa, & quia (ut dixi n. præced.) homicidium tunc admissum censetur virtute volitum, non autem sponsalia, vel vota tunc emissa. Et ideo *Navar. sum. Latina, & Hispan. c. 12. n. 27. Lud. Lop. 1. par. instr. c. 43. paulo post princip. Arug. 2. 2. q. 88. a. 1. fol. 966.* merito docent ad voti valorem sufficere voluntatem, & de liberationem virtualem, qua in se ipso volitum est: quare idem dicerent in sponsalibus, & probatur: quis enim diceret, quod is, qui deliberate cœpit exequi eas cæremonias, quæ præcedere solent matrimonium, aut professionem, non sit vere professus: aut legitimo matrimonio conjunctus, ex eo, quod tempore professionis, aut matrim. non habeat deliberationem, propter animi perturbationem, vel attentionem ad alia? sicut si simili voluntate factus sacrum accedat vere consecrabit ex voluntate virtuali, quamvis consecrationis tempore ad alia divagatus non attendat.

22 Tandem egregium dubium se offert, utrum quisquam in omnibus fere rebus possit esse rationis particeps, in una vero, aut altera ejusdem expers, atque ita capax sit contractus quoslibet, & matrimonium celebrandi, sacramenta percipendi, & peccata confitendi? Videtur enim id fieri minime posse; nam omnis nostra cognitio initium sumit a sensibus, authore Philosopho nihil enim in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, ergo vitiata sensuum principe imaginativa, intellectus non poterit recte ratiocinari, quod ad libertatem desideratur. Et confirm. ex doctrina *D. Th. 2. sent. d. 25. q. 1. ar. 2. ad 7.* ubi dicit usum liberi arbitrii impediri per accidens, quia ad id usus rationis exigitur, & ad rationis usum imaginativa virtus, quæ per organi læsionem impeditur: ergo cum in quocum que demente necessario saltem virtus imaginativa læsa esse debeat, impedietur usus rationis & liberi arbitrii. 2. Probatur; quia omnis potentia eodem modo respicit omnia sua objecta, ut visus omnes colores, & si circa unum objectum vitietur, eodem vitio quoad reliqua laborabit: ergo si ex imaginativæ lesione intellectus quoad aliquod objectum deficit, perperam ratiocinando, deficiet quoad reliqua, & ita, vel in omnibus, vel in una re deliberabit. Tandem, quia alias daretur eundem hominem capacem esse merendi in una materia, & non in aliis. Quare *Victoria relectione de quid teneatur homo veniens ad rationis usum, n. 19.* tamquam probabilius fustinet non posse aliquem usum rationis habere in una materia, & non in aliis, dicitque maniacos, & phreneticos habere rationis usum circa omnem materiam, errare tamen circa aliquam, quasi naturaliter, & invincibiliter.

His tamen minime obstantibus credo verius esse inveniri sæpe delirantes in aliqua speciali materia, ac proinde in illa rationis, liberi arbitrii, meriti, atque demeriti expertes, sed naturaliter brutorum instar imaginatione duci: in aliis vero uti, & libere operari, capacesque esse merendi, & demerendi, ac tubinde posse fateri, alia sacramenta recipere, sponsalia, ac matrimonium celebrare. Cognoscemus autem hunc rationis usum in deliberantibus in aliqua materia, ex præsenti statu facti ex aliquibus interrogationibus, & perspecto an norint discernere inter bonum & malum: id enim indicium est mentis constantiæ, quod est bene se habere ad ea, quæ offeruntur, ut pulchre *Hippocr. l. 2. Aphoris. aphor. 33.* Probat etiam *l. Hi qui 12. in fi. ff. de tutor. & curat.* ibi, *non est novum quosdam, & si mentis juæ videbuntur ex sermonib. compotes esse*, ubi *Glos. v. Ex sermonib.* ait ex sermonibus alicujus convinci sit fanæ mentis, necne. Prob. hæc sent. tripliciter. 1. auctoritate, deinceps experientiis, demum ratione. Prob. ergo 1. auctoritate *Avicenna l. 3. fen. 1. tract. 1. 3. c. 2. in medio*, ubi hæc ait, *nos vero dicimus, quod quando apostema fit in parte anteriori, corrumpit imaginationem, cum ergo est illud, incipiunt colligere pilios ex vestibus: quod si sit in medio, corrumpit cogitationem, & turbatur in eo, quod agit*: ecce qualiter concedit imaginativæ læsionem, & consequenter phrenesim, manente cogitatione, seu ratione illæsa. Idem docent *Gal. l. 4. de loc. male affectis, c. 1. & c. 4. & l. de sympto. differentiis c. 3. Leon. Fusch* auctor alioquin reprobas *l. 1. de medendis morbis c. 29. statim in princ. Donat. Ant. l. de medendis hum. corp. malis c. 6.* ubi omnes hi docent esse phreneticos qui ratione manente illæsa, imaginatione depravata moventur, idem docet *Aetius tetrabilis 2. ser. 2. c. 2. initi.* ubi hæc dicit *aut enim imaginativæ facultas solum læsa est, servatur autem ipsi ratiocinativa, & memoria; aut ratiocinativa solum læsa est, servatur autem imaginativa & memoria: aut etiam imaginativa læsa est, servatur autem memoria: Quib. igit. imaginatio læsa est, ii judicant quidem recte, imaginantur aperversa: quib. vero ratio solum læsa est, imaginantur quidem recte judicant autem non recte: quib. autem memoria læsa est, nullius antea factorum meminerunt, imo neque omnino recte imaginantur, neque judicant.* Et ex Theologis, *Victoria relectione ad quid teneatur homo veniens ad usum rationis, n. 19.* fustinet tamquam probabile posse aliquos habere usum rationis in una materia, & non in aliis. Et multi Theologi doctissimi e nostra Soc. Jesu, quos de hac re consului; sunt nostræ sententiæ. 2. Prob. experientiis, quibus tota philosophia naturalis, ex cujus principiis quæstio hæc decidenda est, innititur, auctor est *Aristot. 1. Met. c. 1.* Prima ergo experientia est, quam refert *Galen.* de Theophilo medico ægrotante *lib. de symptomatum differ. c. 3.* is enim cum alioquin prudenter se gereret, & differeret, atque eos, qui aderant exacte cognosceret, tibicines tamen quoidam arbitrabatur esse in angulo cubiculi, seque illos videre putabat, & assidue clamans jubebat eos expelli, & quando convaluit, perfecte recitabat omnia verba, & gesta eorum, qui ipsum inviserant. Ecce qualiter imaginatione læsa, phrenesique occupata permanebat in rebus gerendis prudentia, & discursus ad differendum, & omnium exacta cognitio, quæ omnia usus rationis manifesta indicia sunt. 2 experientia est, quam de semetipso refert *idem Galen. lib. 4. de locis male affectis, c. 1.* cum enim ardenti febre laboraret, & festucas atri coloris eminere, & floccos similiter in vestibus esse putabat, quos auferre tentans, nihil que sub digitis eductam inveniens, accuratius, vehementiusque id efficere conabatur, audiens tamen amicos, qui tunc aderant, dicentes: Videtis hunc floccos evellere, & festucas colligere? statim intellexit, & cum sic animo constaret, ut rationalis in eos facultas non vacillaret, recte (inquit) dicitis o amici, proinde, ne phrenesis me arripiat, auxilio estote. Ex quibus manifesto constat neque in Theophilo, neque in Galeno rationem læsam esse, sed solam imaginationem; utramque experientiam refert *Idem Leon. Fuschius l. 1. de med. morbis c. 20.* statim in principio, ad hoc idem comprobandum. 3. experientia est, cujus ego sum testis oculatus his proxime diebus novi pastorem quemdam, qui de Trinitatis, & Incarnationis mysterio interrogatus necessariam pro captu rationem reddebat, peccataque frequenter confitebatur, sensu etiam, & ratione præditus erat ad oves ducendas, ac pascendas, & de stipendio suis operis debito, pacifcendum, & denique in omnibus ratione ducebatur, si hoc unum excipias, quod vehementer angebatur, ne ad habitum monachalem induendum cogeretur: precabatur autem, & enixe contendebat, ut chirographo aliquo sibi dato tutus redderetur, fore ut nullo tempore ad id compelleretur: illoque sibi tradito mirum in modum lætabatur. Choreas ducebat, & quæcuid sibi injungebatur, libentissime executioni mandabat: quod evidens signum est solam imaginativam, quoad eam materiam, læsam esse. Tandem probatur ratione, supposito tripici principio apud philosophos certos. I. est, delirii causa est humor, aut pavor ferventissimus in cerebri substantiam, in ejusque ventriculos effusus, cujus impulsu mens in falsa quædam, & fictitia traducitur. Quod inter alios bene explicat *Fernelius l. 6. de part. morbis c. 2.* II. principium est, maximam esse imaginativæ facultatis virtutem ad alterandum corpus, excitandosque humores: cujus effectus mira aliqua refert *Abul. c. 30. Gen. q. 9. fi.*, ex D. Jeronymo, unde ex hujus facultatis virtute delirium potest provenire, experientia ipsa teste: vidimus enim non paucos ex vehementi aliqua imaginatione delirasse. III. principium est, effectus, qui ex imaginativa proficiscuntur, sunt in duplici differentia; quidam ita ab imaginativa procedunt, ut postea permaneant, eo quod alias causas conservantes habeant: alii vero pendent ab actu imaginativæ in fieri, & conservari, quia carent aliis causis, a quibus conserventur: ut humor melancholicus ex rei tristis imaginatione consurgens manet cessante actu imaginativæ, alteratio autem ex rei turpis meditatione, ea finita cessat. Idem cernimus in delirio, aliud enim est, quod perpetuo durat, eo quod idem humor calidissimus tenaciter occupat cerebri partes, habetque sufficientes sui conservationis causas: aliud vero est, quod brevi finitur, eo quod vapor, ex quo provenit, debilior sit. His ergo suppositis probatur nostra sent. sic, delirium provenire potest ex vehementi aliqua imaginatione, ita ut, pro illa dependeat in fieri, & conservari, ergo contingere potest aliquem hominem dum considerar aliquod objectum, delirare, licet dum aliqua percipit non deliret, sed deliberatione utatur. Nec obstat principium, quod urget oppositum sentientes, nimirum libertatem indivisibilem esse, nec percipi posse, qua ratione circa aliqua objecta integra perseveret, circa alia vero omnino lædatur. Hi enim si universim loquantur, certum est falsum illos assumere. In primis enim actus primo primi in nobis sunt necessarii, actus vero secundi sunt liberi, sive sint circa diversa objecta, sive circa idem; deinde in Christo Domino reperti sunt aliqui actus voluntatis omnino necessarii, hujusmodi erat amor Dei procedens ex visione beatifica, & alii perfecte liberi, ut obedientiæ, quos omnes fubuit: imo circa idemmet objectum habuit actus & necessarios, & liberos: nam actus amoris Dei, qui necessario sequebatur ex visione beata, necessarius erat: qui vero ex scientia infusa, liber. Ut docent *Duran. 3. d. 18. q. 2. Palud. ibi qu. 2. ar. 2. Capreolus 1. d. 1. q. 3. circa fin. ad arg. cont. 4. conc. Ferrara l. 3. contgentes c. 62. ad fin. Soto l. 3. de nat. & grat. c. 7.* quinimo circa idem omnino objectum, ut circa proximum cognitum per eamdem visionem beatam, in Christo, & beatis est duplex actus amoris, alter necessarius, alter vero liber: ut tenet *Suarez 3. p. q. 19. a. 3. disp. 39. sect. 2. in 3. sent.* Nulli ergo mirum esse debet, si asseramus in aliquo homine posse dari actus necessarios, & liberos circa objecta diversa, & cognita mediis cognitionibus valde diversis, eujusmodi sunt cognitio elicita media specie aliquo humore vitiata, & cognitio alterius objecti elicita media alia specie illæsa, & perfecta.

24 Ad 1. arg. & confir. fateor discursum circa illud objectum ab imaginativa vitiata repræsentatum errare, at circa alia, erga que imaginativa illæsa est, non errat. Ad 2. Quamvis ex ratione sua eodem modo respiciat potentia omnia objecta, si illa eodem modo se habeant, ceterum per accidens provenire potest, ut aliter verterur circa illud objectum, ac circa alia: ut explicatum est. Ad 3. Admitto quod infert, id tamen non est inconveniens, ut explicui.

DISPUTATIO IX.

An sufficiat ad sponsalia promissio externa ficta, qua uterque, vel alteruter contrahens, caret animo vere promittendi, aut se obligandi, saltem si juramento stabiliatur: vel quando de promissione, aut de intentione se obligandi, est dubium?

SUMMARIUM.

Quotupliciter contingat non habere animum se obligandi. n. 1. Quæ certa sit, & quot in dubium vertantur. 2.
Quando deficit animus promittendi, an sit culpa lethalis, & obliget. n. 3. & ibi, an sufficiat, ut hic ficte consentiens posflea consentiat interne.
Quid quando animus promittendi, non tamen se obligandi. 1. opinio, esse sponsalia, & esse votum simili intentione emissum. 4. Opinio verior, nec esse sponsalia, nec votum 5.
Quid si velit se obligare ad solum veniale, vel ad pœnam in sponsalibus, & voto. 6.
Solvuntur argumenta; & explicantur l. 1. §. 1. ff. Si usufruct. pet. & illud brocardicum, Qui vult antecedens, vult & consequens. 7.
Post n. 7. invenies alia summaria.

1 Dupliciter contingere potest non habere animum se obligandi. 1. positive, ut si promittens actum positivum habeat, quo obligari nolit. 2. negative: ut si nec habeat voluntatem se obligandi, nec contrariam. Et hoc rursus bifariam evenit. 1. quando explicite eam voluntatem se obligandi non habuit, implicite tamen, & virtute id voluit: Ut quando quis est conscius naturæ promissionis, & obligationis ex illa consurgentis, nec habuit intentionem contrariam. 2. modo, quando nec implicite, nec explicite, habuit intentionem se obligandi, nec etiam contrariam: ut si promittens ignarus sit naturæ promissionis, & obligationis, qua ligat.

2 Certum igitur est, si promittentes animum se obligandi habeant, non tamen implendi, esse vera sponsalia, obligareque: quia pessima non implendi intentio rem promissam non eximit ab obligatione, quæ ex ipsa promissione animo se obligandi emissa, naturaliter consurgit. Similiter est certum, si promittens se habuit negative primo modo dicto, qua explicite non habuit animum se obligandi, habuit tamen implicite, & virtute, eo quod dum promisit, conscius erat promissionis naturæ, licet hujus non meminerit, tunc manere obligatum. Quia ex voto naturaliter manet obligatio, & ex quacumque promissione: quare intendens promittere, nec apponens explicite intentionem contrariam, censetur intendere se obligare. Qui enim vult antecedens, censetur velle consequens, quod ex illo naturaliter infertur *l. 1. §. 1. ff. si usufr. petatur.* Et ita in omni promissione tenet *Fortun. c. 1. de pact. n. 30.* & in alio simili, nempe in voto, (utraque enim obligatio ex promittentis spontanea voluntate oritur) docent *Aragon. 2. 2. qu. 88. a. 1. f. 96. col. 2. Manuel. 2. tom. sum. c. 82. n. 7.* & nullum reperi in hoc discrepantem. Quare tunc erunt vera sponsalia. Idem dicendum est, quando tempore, quo fides data est, adfuit vera se obligandi intentio, quamvis statim fide data promittens haberet animum se non obligandi. Quia jam obligatio ex promissione orta fuerat. Item certum est, quando promittens habuit se negative secundo modo, quia nec explicite, nec implicite habuit voluntatem se obligandi, nec contrariam: ut quia naturam promissionis, & obligationem ex ea consurgere prorsus ignorabat, vel existimabat non obligare, nec manere obligatum. Quia obligatio promissionis consurgit ex spontanea promittentis voluntate, fed in hoc casu omnino involuntaria est, ut cum nihil magis voluntari sit contrarium, quam ignorantia, & error. *l. Si per errorem, ff. de jurisd. omn. judic.* Item, quia ignorantia, & error circa substantiam rei promissæ irritat obligationem, eo quod voluntatem auferat, at multo magis pertinet ad promissionis naturam virtus obligandi: ergo hujus virtutis ignorantia voluntatem, & obligationem aufert. Præterea, quia in hoc casu vere non vult promittere, cum per hanc vocem Promitto, non intelligat promissionem & obligationem oriri. Tandem, quia *l. 3. ff. de act. & oblig.* expresse traditur neminem se obligare nisi animum se obligandi habeat, & ita loquens de sponsalibus, tenet *Pet. de Ledesm. de matr. q. 43. a. 1. dub. 2.* & in voto docet *Arag. de a. 1. f. 970. col. 1. Manuel. d. c. 92. n. 8.* indeque uterque infert, ignorantes invincibiliter castitatis votum annecti ordini sacro, non teneri ex vi voti ad castitatem defectu voluntatis: licet de infante ad ordinem sacrum promoto fatentur omnes. Intelligendum tamen est, nisi ignorans promissionis naturam, velit ea intentione promittere, qua ceteri promittunt: tunc enim implicite, & virtute obligari vult. Tota igitur difficultas est, quando promittens habuit promittendi animum, & positive habuit animum se non obligandi. Et de hujusmodi promissionis fictæ obligatione bifariam disputari potest. 1. An obliget ex vi promissionis, & sponsalium. 2. An saltem obliget ratione fraudis ad refarciendam injuriam illatam. Et in priori casu est disputatio præsens, in posteriori vero disp. seq. erit sermo. Triplex igitur dubium inpræsentiarum agitandum est. 1. An promissio ficta animo promittendi facta, & expressio non se obligandi, constituat sponsalia, ex vique promissionis obliget. 2. Quid si juramento stabiliatur. 3. Quid si dubitatur de promissione, aut de animo se obligandi.

3 Dubium I. Quando promissio fit animo promittendi, non tamen se obligandi, an obliget. Et quidem si omnino promissio ficta sit ore tenus solum, quia deficit animus promittendi, manifestum est, nec esse sponsalia, nec ex vi promissionis obligare, quia vere non est promissio, sed promissionis fictio. Erit autem difficultas, an si post consentiat interne, sint vera sponsalia. De qua l. 2. disp. 32. n. 9. usque ad 13. Est tamen culpa lethalis, quia est mendacium perniciosum; in quolibet enim contractu utrimque obligatorio, qualis est sponsalium, lex justitiæ præscribit, ut uterque vere contrahat. Sic *Cajet. ver. Sponsalia, & ibi Armilla. 14. Navar. sum. c. 22. n. 27. Veracruz* dicens ab omnibus receptum esse, *3. p. Spec. a. 19. conc. 1. Barth. a Ledesf. de matr. dub. 14.* Quod tamen tripliciter limitandum censeo 1. nisi eo pacto fides daretur, ut alter facile colligere posset jocose dari, nec inde damnum aliud sequeretur. 2. nisi promissio fit ex altera tantum parte, & non mutua, nec inde detrimentum aliud redundat: quia cum tunc contractus non sit, minime est mendacium perniciosum. 3. nisi gravi necessitas urgeat ad sic ficte promittendum, ut ob vitandum magnum scandalum. Nam (ut disp. 11. n. 2. dicemus) in hoc eventu non est mortale ficte contrahere matrimonium, nedum sponsalia: & ibi disputabimus, an sit veniale: & cum ficte contrahere sponsalia sit minus grave quam fictum matrimonium, minor causa desiderabitur.

4 In eo igitur difficultas versatur, quando promissio fit animo promittendi, non tamen se obligandi, an sint vera sponsalia, & ex vi promissionis obliget. Duplex est sent. I. esse vera sponsalia, & obligare. Prob. obligatio est naturalis effectus promissionis, sicut ignis calefacere, ergo sicut posito igne, velit, nolit apponens, calefactio sequetur, ita posita promissione, animoque promittendi, statim consurget obligatio. Et confir. quia qui vult antecedens, vult necessario consequens. *l. 1. §. 1. ff. si usufr. peta* ibi, *& ideo si usufructus regeatur, necesse est tamen, ut sequatur eum aditus*, & late *Ebrardus loco a concessione antecedentis ad concessionem consequentis.* Sed obligatio consequitur promissionem: ergo, qui vult promissionem, necessario vult obligationem. 2. Quia alias esset in promittentis potestate, velle se ad mortale, vel veniale astringere. 3. Quia dans formam subinde dat consequentia formam, ergo apponens promissionem, subinde apponit obligationem, quæ ipsam

consequitur. Et ita in sponsalibus docet *Petr. de Ledes. de matr. q.43. a.1. dub. 2.* & in alio simili, nempe in voto docet *Soto l.7. de just. q.1. a.2. vers. Tertio eodemque medio Lud. Lop.* dicens idem docuisse *Penna 1. p. instr. c. 42. §. Secundum Sotum, & c. 43. §. Quamvis votum, Manuel 2. tom. sum. c. 99. n. 7. Arag. 2.2. q.88. art.1. f.969. §. Contraria tamen, Gutier. l. 2. qu. can. c. 22. n. 31.*

5 II. Sent. verior affirmat, nec esse sponsalia, nec ex vi promissionis obligare. Prob. ex *c. fide cond. appos.* ubi conditio contraria subsistantiæ matrimonii ipsum annullat, licet verba, & intentio esent contrahendi: ergo cum de natura promissionis, & sponsalium sit animus se obligandi, ubi contrarius animus adfuerit, nulla erunt. Et confirm. quia quamvis intentio contraria matrimonio mente retineatur, ipsum annullat: ut si animus sit ducendi uxorem ad tempus: sicut dicemus l.2. disp.29.n.11. 2. Prob. quia omnis obligatio, quæ non est ex lege, oritur ex privata hominis voluntate: ergo ubi deest se obligandi voluntas, deficit obligatio. Dices, sponsalia ex hominis voluntate consistere; iis tamen contractis obligatio est ex jure divino, & naturali: hoc tamen non obstat, quia lex divina, & naturalis non obligat circa rem spontaneam, nisi supposita voluntate hominis obligationem sibi imponentis, ergo ubi defuit animus se obligandi, deest obligatio. Tamdem, quia obligatio promissionis consurgit ex lege privata, quam promittens sibi imponit, nulla autem lex obligat, nisi legislator obligare intendat. Quare hanc sent. tuetur *Enriquez l.11. de matr. cap.13.n.2.* & in alio simili, scilicet in voto, docent *Ricar.4. d.38. a.3. q.2. ad 2. D.Bon. ibi a.1.n.13. & 3. d. 39. art.3. q.1. n.46. D.Ant.2. p.t.11. c.2. initio, Ang. ver. Pactum, num. 4. & Votum. 1. n.7. Syl. verb. Metus, q. 8. & verb. Pactum, q.4.* ubi *Arm.n.2. & verb. Juramentum, n. 14. Tabiena ver. Pactum, q. 2. Metina C. de resti. q.23. §. His non obstantibus, Nav. sum. c.12.n.38. Vig.l.inst.c.5.§.5.v.14. Pal.4.d.29.disp.1.f.665.col.1.*

6 Dubitabis tamen, quid si adfuit animus obligandi se solum ad veniale an sint vera sponsalia. Quidam censent in alio simul, ut in voto, non esse in potestate voventis obligare se ad culpam mortalem, vel venialem, vel ex objecti magnitudine id pensandum esse, quia quamvis obligatio voti, & promissionis, quoad exercitium pendeat ex voventis intentione, quantitas tamen obligationis sumitur ex natura rei, juxta materiæ qualitatem. Sic *Soto l.7. de just.q.2. art.1. vers. Per hæc ad id Corduba sum.q.188. punct.1.* Sed dicendum est quamvis in materia levi non sit in voventis potestate obligare se ad mortalia, quia talis voluntas ut tarua, & irrationabilis non acceptatur a Deo, cum & præcepta, & leges superiorum non possint ad mortale in re levi obligare, ut bene probat *Cajetl 1. de lege pœnal. c. 5. docu. 2.* & in voto docent *Soto, & Corduba proxime citati*, idem *Soto l.8. de just.q.1.a.7.dub.1.* Ceterum in quacumque materia gravi potest se ad solam venialem culpam obligare, quia promissio est lex privata, quam promittens sibi imponit; at legislator potest sub veniali velle obligare in materia gravi. Item quia si potest se ad nullam culpam astringere, ut dixi n.5. a fortiori poterit ad solam venialem. Hoc collegitur ex *Enriquez l.5. de pœn.c.21.n.5.* ubi dicit posse voventem ad solam pœnam se obligare. Unde credo posse similiter in sponsalibus velle se ad solam venialem culpam astringere, & esse vera sponsalia, sicut esset verum votum, quo se ad veniale obligaret, quia jam est vera promissio, cum adit animus promittendi, & se obligandi, nec est de essentia, ut obliget ad mortale: si vero solum esset animus se ad pœnam astringendi, credo non esse votum, nisi tantum circa pœnam; esset enim perinde, ac si vovens diceret, Promitto mille aureos pauperibus, si fuero: obligatio enim solum in pœnam cadit; & eodem modo si per sponsalia esset animus se ad solam pœnam obligandi, nec esent sponsalia, nec promissio: quia omnimoda obligatione destituuntur, cum in illis promissio pœnæ minime valeat, *c. Gemma, de sponsalibus.*

7 Ad 1. argum. distinguo antecedens, quando promissio vera est, fateor: secus quando non est vera, ut contingit, quando deest animus se obligandi: cum enim adjiciatur conditio naturæ promissionis contraria, deficit veritas promissionis. Ad confir. dico volentem efficaciter antecedens, velle consequens, at adjiciens animum non se obligandi, minime vult efficaciter promittere, sed ficte, & oretenus. Ad 2. fateor id sequi, non tamen esse inconveniens, ut dixi n.6. Ad 3. concedo antecedens de veram formam dante, qui autem promittit absque animo se obligandi, veram promissionis formam a promittentis mente pendentem, aufert: & tantum est apparens, & ficta promissio.

SUMMARIUM.

An si promissio facta animo promittendi, non tamen se obligandi juramento firmatur, obliget. 1. opinio obligare, n. 8. 2. Verior, non obligare, 9.
Solvuntur argumenta, & explicatur c. Quacumque 22.q.5. n.10. Post n. 10. invenies alia summaria.

1 DUbium II. An si promissio matr. juramento stabiliatur, obliget, utrimque sponsalia constituet, quando adest animus jurandi, & expressus non se obligandi: nam quando deest etiam animus jurandi, fatentur omnes, nec vi juramenti obligare: sicut diximus n.5. de promissione. Aliqui censent obligare. Probatur ex doctrina, quam tradunt *Angel. Juramentum 4. initio, Sylv. Juramentum 3. q. 2.* ubi docent aliter contrahi obligationem in voto, quam in juramento; in illo enim contrahitur per intentionem; in hoc vero per deliberatam verborum attestationem. Prob. ex *D. Isidoro*, & habetur *c. Quacumque 22. q.5.* ibi, *quacumque arte verborum quis jurat: Deus tamen, qui conscientia testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit.* Sic videtur tenere *Hostien. c. Ad audientiam, super verb. Resignavit, de his, quæ vi, & ibi Joan. Andr. n.8.* ubi ajunt licet promissio non obliget absque animo se obligandi, at in juramento aliud statuere Ecclesiam: sed eos intelligit *Imola ibi n.5.* ut sentiant in conscientia id juramentum non obligare, sed tantum in foro Ecclesiæ, eo quod non credit aserenti se caruisse animo se obligandi. Sed expresse hanc sent. tenent *Cajet. 2.2. q.89. a.7. ad 4 Soto l.8. de just. q.1. art.7. ad 4. vers. At vero profecto. Covar. de pact.1.p.§.5.n.2. Gutier.l.2 qu. canonic. cap.22. n.31. Ludovic. Lopez.1.part. instruct.c.42.§. Secundum Sotum Manuel.1.tom. sum. 2. edit.c.192. n.4. & 2.to. cap.92. num.7. Aragon.2.2. qu.89.a.7. §. Quarta concl.f. 1081. Enriquez l. 11. de matr. cap.13.n.2. in commento, lit. z.* quamvis in voto teneat contrarium, & hoc dicit tutius *Tabiena verb. Jurare, qu. 11.* Unde juxta hanc sententiam dicendum est vera effici sponsalia.

Verius tamen est non obligare ex vi juramenti, aut promissionis, nec esse sponsalia: probatur iisdem rationibus quibus n. 5. id probavimus de promissione, utraque enim obligatio procedit ex spontanea hominis voluntate sibi legem imponentis, nec commoda discriminis ratio inter utramque obligationem designari potest. Item ex *D.Greg.l.26.mor.c.7.* & habetur *c. Humanæ, 22.q.5.* ubi ait, humanas aures talia verba nostra judicare, qualia foris sonant, Deum autem qualia ex intimis proferuntur. Quare hanc sent. videtur expresse tenere *D.Th.3. d.39. qu.1. art.3. quæstiunc.3.* ubi dicit juramentum ex ipsa juramenti, ut juramentum est, ratione non obligare, nisi juxta jurantis intentionem; & tenet *D.Bonav.3.d.39.a.3.q.1.n.46. & ibi Ricar.art.2. q.1. Gab. ibi q.1.a.2. concl.5. D.Ant. 2. par. t. 10. c.6. vers. Quintus casus, sive Metina C. de confessione, qu. de Dispens. in revelanda conf. ad 2. Palacios 4.d.29. disp.1. fol.665. col.1. Philiarch de offic. Sacerd. tom.1.p.2.l.3.c.16. §. Sed dubium est.* Et ex jurisperitis *Ant. c. Si vero, de jurejur. nu. 5.* ubi *Abbas n.9. Alex. de Nevo nu. 38. Fol. n.8. vers. Et declara Imol. n. 7. Fort de nlt. fino, illat.22.n.477. & seq. Rosella verb. Jurare, n.19. Angel. Juramentum 5.n.8.10.32. Sylv. Juramentum.4.q.7.17.19. Armilla verb. Juramentum nu. 14. Seraphin. de privil. juram. privil. 110. n.10. Guttier. de juram. 1.p. c. 57. n. 20.*

Ad 1. argum. ex propositis n. 8. respondeo negando eam doctrinam, ut bene eam impugnat *Metina C. de restit. qu. 23. §. His non obstantibus.* Sed dicendum est, utramque obligationem pendere ex intentione promittentis, vel jurantis. Ad *cap. Quacumque arte*, dico intelligi, dum quis jurat animo se obligandi, non tamen implendi, vel quando jurat aisertorie rogatus a judice, contra mentem petentis juramentum.

SUMMARIUM.

An in dubio utrum quis promiserit matr. homini, vel emiserit votum teneatur, & quid quando id opinatur, n.11.
An in dubio animi se obligandi in matrimonii promissione, & voto, teneatur 1. opinio, non teneri, 12.
Verior opinio, teneri, nu. 13. & ibi quilibet præsumitur dicere, quod in mente habet.
Quid in dubio ujus rationis, dum promissio matrimonii, vel votum fit, n. 12. & 14.
Solvuntur argumenta, & explicatur c. 1. De his quæ vi, 14.

DUbium III. Utrum dubitans, num sponsalia contraxerit, vel animum se obligandi habuerit, teneatur. Et in priori casu dum dubium est de promissione, videtur teneri: nam dubitans de voto a se emisso tenetur implere, ut docet *Corduba sum. q.147.* Item quia quamvis in dubio potior sit possidentis conditio, *reg. jur. in pari.65. de reg. jur. in 6. & reg. In pari.70. ff. eodem tit.* exigitur tamen, ut possessionem illam juvet bona fides possidentis, ut dicemus lib. 2. disp.41. n.24. quæ per dubium excluditur. Ceterum dicendum est, si sufficienti adhibita diligentia adhuc manet dubius, utrum matrimonium promiserit, minime teneri; & idem est si dubitat de voto a se emisso. Probatur, quia in dubio melior est possidentis conditio, non tantum in materia justitiæ, sed in quacumque alia, ut dicemus lib. 2. disp. 41. n. 32. Sed in hoc dubio voluntas possidet suam libertatem, cum de vinculo contracto dubitetur, ergo in hoc dubio pro libertate judicandum est. Item, quia hoc in sponsalium favorem cedit, magnam enim exigunt libertatem, *c. Gemma de sponsalibus* cedit etiam in voti favorem, cum enim sit opus religionis, libertatem, ac spontaneam voluntatem petit. Item quia ubi tractatur de obligatione contrahenda, stricta interpretatio facienda est: *c.1. de jur. ejur. in 6. l. Quicquid astringendæ. ff. de verb. oblig.* qua ratione ductus *Abb. c. Cum clerici. fine, de verb. significat.* ait juramentum generale præstitum restringendum esse quantum fieri potest, ut minus obliget juramentum. Nec obstat requiri bonam fidem possidentis, quia ante hoc dubium bona fide possidebatur libertas, nec dubium superveniens, quod solicita diligentia vinci nequit, tollit bonam fidem, ut bene probat *Covar. reg. possessor. 2.p.§.7.n.4. Sarmien.2. sol.c.10.n.5.* cum aliis, quos referunt. Quare in voto hoc videtur sentire *gl.c. Ex parte de censibus, proxime ante verb. Ex parte*, ubi ait in dubiis licere sequi quod libuerit, & videtur loqui de voto, de quo textus ille agit.

Et ex-

Et expresse de voto hoc sentiunt *Soto l.7. de just.q.3. art.2. docum. 2. vers. Sed hic. Metina l.1. sum.c.14. §.7. fol.90. Capua l.2. decis. c.31. fin. Manuel 2.t. sum.c.99.n.5. Enriquez l.11. de matr. c.11. n.5. & l.8. de Eucbar. c.45. n.3. in comm. lit P. Lud. Lop.1.p. instruct. c.45. §. Dubitans de voto:* quare idem docent Doctores de dubitante an promiserit matr. cum eadem prorsus ratio sit. Dixi consulto non teneri, quando dubitat: si enim opinetur se voviße, ita ut oppositum non opinetur probabiliter, tenetur quidem, quia habet assensum: si autem pro utraque parte opinionem probabilem haberet, liceret quamcumque amplecti.

12 In posteriori autem casu, ubi aliquis est certus de promissione matr. aut voto, dubitat autem de animo se obligandi, vel an sciret obligare: posset aliquis existimare non teneri. 1. quia in dubio non præsumitur animus se obligandi in juramento metu extorto, ut docent *Hostiens. c. Ad audientiam, super verb. Resignavit, de his quæ vi, & ibi Jo. And. n.8. Abb. c. Si vero de jurejur. n.19. D.Ant.2. p.t.20 c.6. §. Quintus casus Rosella verb. Jurare n.19. Silv. Juram.4. q.7. dict. 4. Seraph. de privil. juram. privil.* 110. *n.16.* Quare *Angel. Juram.5. n.10.* ait in hoc dubio non obligare juramentum. 2. Quia perinde videtur obligare de animo se obligandi, ac dubitare de ipsa promissione, quia deficiente animo non est promissio. 3. Quia in hoc dubio videtur prævalere possessio libertatis, qua voluntas gaudet. 4. Ex doctrina, quam tradunt *Sotus l.7. de just.q.3. art.2. docum. 2. vers. Sed est hic, Capua l.2. decis.c.31. fin. Beja cas.49. in fua sum.f.233. Vegal.4. sum.cas.417.* ubi dicunt dubitantem puerum de rationis usu dum vovit, minime teneri, nec sufficere quamcumque opinionem usus rationis, sed exigi rem esse adeo certam, ut nulla, aut tenuissima sit apud viros prudentes dubitatio. Tandem probatur ex *cap.1. de his quæ vi ad finem*, ibi, *Si legitime probatum fuerit, non timore mortis prædictam mulierem religionem intrasse.* Ex quo textu constat, mulierem habitum dimittentem professione jam emissa, cogendam esse ad religionem, si monasterium probaverit sponte professam esse, ergo in dubio an valuerit professio, possessio est pro voluntatis libertate: alias non monasterium, sed ipsa teneretur probare metum.

13 Dicendum tamen est in hoc dubio teneri. Prob. 1. quia verba exterius prolata sunt naturaliter signa intentionis; & nullus præsumitur dicere, quod in corde non habet: ut late probo l.3. disp. 15.n.9. quod adeo verum est, ut etiam in juramento metu extorto, ubi vehemens conjectura defectus animi se obligandi propter metum, concurrit, verissimum sit præsumi animum se obligandi, ut delicti præsumptio vitetur, ut docet *Alex. de Nevo c. Si vero, de jurejur.n.42. Imola c. Ad audientiam, de his quæ vi n.5. Covar.* appellans oppositum manifestam errorem, *4. dec. 2.p.c.3.§.5.n.3.* ergo ubi constat de promissione, dubitatur autem de animo se obligandi, præsumpto, & possessio est pro animo se obligandi verois promissionis id significantibus. 2. Quia promissionem consequitur naturaliter obligatio, nisi expresse apponatur negatio contraria, ergo dum de promissione constat, & dubitatur de contrario animo, præsumptio, & possessio est pro obligatione, & confir. ex doctrina *Soti l.8. de just. q.1. art.7. ad 4. col.25. ante vers. Ex secundo autem* ubi hæc ait, *Quæcumque actio exterior deliberata secum natura sua affert agendi intentionem, & ideo nisi per formalem negationem mentis excludatur, semper intelligitur una concurrere cum actione:* ergo in dubio ea intentio præsumitur, & pro ea est possessio. Nam qualitas, quæ a natura inest, semper inesse præsumitur, ut probat *Menoch. de præsump.l.1.q.14.n.3.* Et amplius confirmatur, quia hujus possessionis signum est, statim ac aliquis ait se jurasse, vel promisisse, non rogatur an habuerit animum se obligandi, quasi is animus præsumatur. 3. potest probari ex dictis disp. præced.n.10. ubi idem probavimus in dubio an promittens habuerit debitam deliberationem. 4. Quia *D.Th.2.2.q.89.ar.9. ad 3.* supponere videtur, quando est dubia juramenti obligatio, eo quod de materia dubitatur, sit licita nec ne, obligare, ait enim posse tunc Episcopum dispensare: ergo idem dicendum est, quando est dubium de animo se obligandi: quia perinde irritum est juramentum defectu debitæ materiæ, ac defectu hujus animi. 5. Quia quando dubium est an juramentum obliget, non potest aliquis propria auctoritate convenire: ut docent *Sylv. Juram. 5. q.1. Angel. Juram. 6. n.1. Tabiena v. urare jurare q.10. Cotta*, quem refert & sequitur *Gratian. reg. 265. n.9. Gut. de juram. 1. p. c.72.n.6.* ergo in dubio possessio est pro juramenti obligatione, & consequenter idem erit de qualibet alia promissione, cum pariter ad omnes, ac ad juramentum exigatur animus se obligandi; ut dixi n.9.6. Quia probato facto præsumitur intervenisse omnia ad factum requisita, ut docet *Panorm. cap.1. de his quæ vi, n.9. per c. In præsentia, de prob.* ubi probata professione præsumitur, profitentem habuisse legitimam ætatem, & neganti incumbit probatio, ergo cum constet de promissione, præsumitur in dubio animus se obligandi, ad ejus valorem requisitus. Tamdem, quia forus externus cognita hujus dubii veritate sententiam proferet in promissionis favorem, pro qua est præsumptio, ergo idem in foro conscientiæ sentiendum est: uterque enim forus, ubi externus falsæ præsumptioni non innititur, idem judicat: ut probavi disp.5.n.20. Et pro hac sententia sunt *Felin, c. Si vero, de jurejur.n.8. vers.* 4. declarat *Gut. de juram.1. p. c.57. n.20.* ubi docent juramentum coactum in dubio animi se obligandi, servandum esse: & *Nav.l.3.consil. in 1.edit. t.24. de voto, consl.4.fin.* ubi ait voventem castitatem, simulque religionem, incertum tamen de intentione, an absoluta, an potius casu, quo ingrederetur religionem, teneri, dum dubitat de intentione, reputare se obligatum ad castitatem, licet non admittatur ad religionem, quia est certus de voto, dubius tamen de intentione, & *Corduba sum. q.137.* ubi ait in dubio an votum obliget esse necessario petendam dispensationem, & *D. Ant. 2. p. tom. 11. cap.2. initio, vers. Nota 6.* ait tutius esse implere in dubio animi se obligandi.

Ad 1. arg. ex propositis n.12. dico eos Doctores agere de juramento coacto, in quo coactio præbet vehementem ficti consensus conjecturam: & adhuc in illo probavimus eam doctrinam n.13. Ad 2. Negatur antecedens, quia dum omnino dubitatur de promissione, nulla est ex parte promissionis possessio, sed tota se tenet ex parte libertatis: quando autem promissio est certa, & dubius animus, tunc possessio, & præsumptio est ex parte promissionis. Ad 3. Nego in eo casu esse possessionem ex parte libertatis: Ad 4. Neganda est ea doctrina, & sic distinguendum, si emittens votum, septennium expleverit, cum jam jus præsumat usum rationis, is in dubio præsumendus est: secus ante septennium, in quo casu nisi expresse constet de rationis usu nec votum; nec sponsalia obligabunt, ut latius dicemus disp.19.n.10. Ad ultimum desumptum ex *c.1. de his quæ vi*, varios affert intellectus *gloss. ibi v. Mortis, Ant. n.29. Panorm. n.9. Imol. n.16. Ant.* igitur intelligit ex eo textu non constare, cui onus probandi incumbat, nam imperfonaliter loquitur; sed bene reprobat *Imol. n.16. vers. Sed certe*, quia textus probandum dicit, feminam sponte professam esse, hoc autem monasterio incumbebat probare, erat enim contra feminæ intentionem, 2. respondent *Gloss. & Panor.* tam feminæ, quam monasterio incumbere probandi onus, illi timorem mortis incussum, huic vero professionem a muliere emissam. Sed nec placet hæc solutio, quia aperte opponitur textus ibi, *si legitime probatum fuerit non timore mortis religionem intrasse*, ubi manifeste loquitur de probatione facienda a monasterio, contrarium enim probatura erat mulier, ut intentum assequeretur. Unde eligenda est alia solutio *Gloss. & Panor. ibid.* monasterium debere probare non intervenisse metum, non quasi positive probare debeat: sed feminam probaturam metum, & eo ipso, quod non probet, censetur monasterium suam probasse intentionem. Et tandem melius responderi potest, revera monasterium probaturum non intervenisse metum, quia ex parte feminæ erat possessio, & præsumptio juris per metum professam esse, ex eo quod erat conjugata, viroque spoliata fuit, & in favorem spolii præsumitur consensus metu extortus: ut constat ex *cap.2. de restit. spoliat. ibi, quia non est verisimile, quod sponte juri suo renuntiavit, qui renunciat spoliatus.*

DISPUTATIO X.

Utrum ficta matrimonii promissio, esto non obliget, ut sponsalia vel promissio, constringat tamen ad standum promissis ratione fraudis, & injuriæ illatæ ficte promittendo?

SUMMARIUM.

Quando promissio ficta est gratuita, an obliget, & in quo versetur difficultas, & quos sint difficultates tractandæ, n.1.
Quid, quando sub ea spe virginem defloravit. 1. opinio, non teneri, n. 2. 2. Opinio, verior, teneri, 3.
Quid si non fuit promissio mutua, & deflorata est femina, 4.
Quid si conditione disparei fiat, 5.
Qualis debeat esse hæc disparitas, 6.
Quid si ex promittendi modo femina potuit fraudem percipere, 7.
Quid si in his casibus juramentum intercedat, 8.
Quid si sequatur scandalum, 9.
Quid si malus exitus speretur, 10.
Quid si vir decipiatur credens feminam esse virginem, vel in alia qualitate, cap.11. & an tunc teneatur restituere.
Quid si ubi dolum novit, carnaliter cognoscit feminam, 12.
Quid si femina deflorata postea cum alio fornicetur, vel aliquid ei superveniat, ob quod sponsalia possint dissolvi, & an tunc teneatur vir restituere, si ipsam non ducat, 13.
Quid si tantum tactus, & oscula interveniant fide data de matrim. 14.
Quid si nolit femina, aut parentes ejus, aut fidem dani aliam duxit, vel ad sacros ordines promotus est, 15.
Quid si deflorani duxit aliam, an viduus effectus teneatur deflorata ducere, remissione, 16.
Solvuntur argum.n.17. & post n.17. invenies cetera summaria.

CUm (ut diximus disp.5.n.11.) promissio matrimonii dupliciter fiat, aut mere gratis; quando ex altera parte tantum fit; aut per modum contractus, dum mutua est; quando priori modo fit, si nullum aliud damnum feminæ redundet, non tenetur ficte promittens eam ducere, licet id ficte non animo se obligandi juravit, secluso fractionis juramenti scandalo, quia non tenetur ex vi promissionis, aut juramenti, ut dixi disp. præc. n. 5. & 9. nec ratione injuriæ, nulla enim est, cum non fit contractus, Do ut des, vel, Facio ut facias, nec damnum aliquod sequitur, & ita docet *Petr. de Ledes. de matr. q.45.art.4.dub.1.* & quamvis anceps maneat, num saltem sub veniali teneatur, credo tamen nec esse veniale, ratione dicta. Unde difficultas in eo versatur, quando est mutua promissio, vel si fuit ex parte alterius tantum, interfuit alius contractus, sub ea spe tradidit femina corpus; Sex igitur quæstiones in hac disp.

diſp. agitandæ ſunt. 1. Quando ratione fictæ promiſſionis femina deflorata eſt. 2. Quando vir eſt notabiliter dignior, eſto non tenetur ducere, teneatur ei damnum refarcire. 3. Quid ſi femina cum exceſſum ignorabat, aut prudenter credidit veſtibi promiſit. 4. Quid ſi femina ſub ea ſpe cognita, non erat virgo. 5. Quid quando contrahentes ſunt pares, & proprio ſimplio ſuit mutua, nec aliud damnum, quam fictæ promiſſionis redundat. 6. An quando promittens non tenetur duſcere, rogatus a judice poſſit negare promiſſionem:

2 Quæſtio I. An ficte promittens matr. & ſub ea ſpe deflorans virginem, teneatur eam ducere, aliqui cenſent non teneri, ſed ſatius eſſe ducere, vel dotem conſtituere, quia juſtitia commutativa tantum petit æquale reddi, poteſt autem id fieri ſatisfaciendo pecuniis. Sic videntur tenere *D. Ant. 3.p. t. 1. q. 19. initio, & Supplem. Gabriel 4. d. 28. q. 1. art. 2. concl. 5. Barth. a Ledeſ. de matr. dub. 19. fol. 1296.* ubi ajunt teneri hunc eam ducere, vel aliter ſatisfacere: & aliqui Theologi neoterici cenſent hoc eſſe probabile, ut refert *Petr. de Ledeſ. num. ſeq. allegandus.*

3 Omnino tamen dicendum eſt teneri ſub culpa lethali eam ducere. Prob. quia juſtitia commutativa non tantum petit reddi æquale, ſed ut idemmet reddatur ex juſtitia debitum, ut ſi æquum ſuratus ſum, nulla reſtituta pecunia ſatisfaciam, innum enim pro alio invito creditore ſolvi non poteſt *l. 2. §. Matrim. ſi cert. potat.* Sed hic ex juſtitia commutativa tenebatur, habere conſenſum, ut conſtat in omnibus contractibus, in quibus intervenit, Do ut des, vel Facio ut facias, ergo cum poſſit reſtituere adhibendo eundem conſenſum ex juſtitia debitum, tenebitur ad id. Et confir. quia quamvis damnum violatæ virginitatis non poſſit æque pecunia refarciri, eo quod amiſſa virginitas non poteſt in eadem ſpecie reſtitui, at injuſta ſicti conſenſus decepto non poteſt æque compenſari, niſi auferendo injuſtum dolum, veroque conſenſu præſtito, quo poteſt in propria forma reſtitui: Nec poteſt vere dici æquale, dum non ſatisfit in propria ſpecie. 2. Quia in omnibus contractibus, in quibus intervenit, Do ut des, vel facio ut facias; ubi alter ex ſua parte implevit, tenetur alter implere, quamvis ficte contraxerit, eo quod tenebatur ex juſtitia vere contrahere, ut ſi ficte promiſi Petro centum aureos, ut eat Romam, ubi Petrus adivit, teneor dare, ergo cum hic contractus fuerit mutuus, mulierque jam impleverit tradendo corpus, tenetur fictus promiſſor implere eam ducendo. Et ita docet *D. Th. 4. d. 28. q. unic. art. 2. ad 4. Ricard. ibi art. 1. q. 3. fin. Palud. q. 1. art. 2. concl. 4. & 5. n. 14. & ſeq. Henr. cap. ex part. n. 6. de ſponſal. D. Ant. 2. p. t. 5. c. 6. §. 1. Roſella Matr. 4. n. 2. Angel. verb. Stuprum n. 1. Sylv. v. Luxuria, q. 5. Tabiena verb. Reſtitutio q. 22. n. 23. Armil. ibi n. 22. Victoria de matr. n. 265. in ſum. Navar. ſum. c. 16. n. 18. Ledeſ. 2. p. 4. q. 18. art. 2. ante dub. 2. f. 241. col. 1. Veracruz 3. p. ſpecul. art. 19. concl. 5. Corduba ſum. q. 50. & quæſtionar. l. 1. q. 13. diſt. 2. Enriq. l. 11. de matr. c. 11. n. 2. Beja ſum. caſ. 18. Lud. Lop. 1. inſtruct. c. 76. fol. 189. col. 1. in 2. edit. & 2. p. materia de matr. c. 36. f. 1035. col. 2. Salon. 2. 2. q. 62. art. 2. contr. 5. fin. Manuel 1. ſum. in 2. edit. c. 208. n. 8. Vegal. 2. ſum. caſ. 230. Petr. de Ledeſ. de matr. q. 45. art. 4. dub. 1. ad confirm. tertii, Capua l. 2. deciſ. c. 78. n. 3. Spino ſpecul. teſtam. gloſſ. 15. principal. n. 73.*

4 Hinc intero, idem dicendum eſſe, quamvis non fuerit mutua promiſſio, ſed vir ficte promiſit feminæ matrimonium, ſi ſe deflorandam ei traderet, cui promiſſioni virgo innitens tradidit corpus, quia eſt perfectus contractus, Facio ut facias & virgo jam implevit; quare omnes rationes nu. præc. allatæ hoc probant, & DD. ibi citati indiſtincte loquuntur de promiſſione: ſolus *Manuel 1. tom. ſum. 1. edit. c. 208. n. 8.* aliquantulum trepidat, appellans hoc magis probabilem, & pium.

5 Hæc tamen ſententia aliquibus modis limitanda eſt. 1. niſi vir notabiliter conditione excedat, tunc enim femina hujus exceſſus conſcia non poteſt allegare ſe deceptam eſſe, debuit enim ſcire, virum adeo diſparem ficte ſibi pollicери matrimonium. Hæc ratio communiter traditur, ea tamen non probat univerſaliter, ſed quando femina exceſſum norat: Ideo n. 21. tradam rationem univerſaliorem. Quod ſi opponas, hunc violaſdam rationem univerſaliorem. Quod ſi opponas, hunc violaſſe juſtitiam ficte promittendo, ſolvam n. 19. Sic docent *D. Th. Ant. Sylv. Armil. Tabien. Angel. Nav. Cord. Veracruz. Enriq. Lud. Lop. Capua, Vega, Petr. de Ledeſ. Beja, Salon Spino cit. n. 3. Navar l. 2. de reſtit. c. 3. p. 4. dub. 2. in 2. edit. n. 417.*

6 Rogabis tamen, qualis debeat eſſe hæc diſparitas: quamvis enim omnes conveniant debere eſſe notabilem, at quidam ſtricte loquuntur: ut *Petr. de Ledeſ. de matr. q. 45. art. 4. dub. 1. concl. 2.* exemplificat, ut ſi femina ſit agricolæ, aut fabri filia, & vir filius Comitis. Sed multo minor diſparitas ſufficit. Quare hoc arbitrio prudentis relinquitur, qui eam eſſe diſparitatem judicet, ut merito femina ſe decipi credere debuerit: ut optime *Angel. verb. Stuprum, n. 1. Navar. ſum. cap. 22. n. 76.* & ideo melius exemplificant alii Doctores, ſi vir nobilis ſit, femina autem agricolæ filia: ita *D. Ant. 2. p. t. 5. c. 6. §. 1. Navar. ſum. c. 16. n. 18. Corduba in quæſtionar. l. 1. q. 13. diſt. 2. Capua l. 2. deciſ. c. 78. n. 6. Manuel. 1. tom. ſum. in 2. edit. c. 208. n. 8.* Idem dicendum eſt, quamvis genere pares ſint, ſi notabiliter divitiis impares ſint, ut *Navar. ſum. Latina c. 16. n. 28. Veracruz. 3. part. ſpecul. art. 19. concl. 3. Corduba ea q. 13. d. 2. Beja caſ. 18. Lud. Lop. utroque loco, n. 3. cit.*

7 2. Limita, niſi femina ex verbis, aut aliis claris conjecturis facile poterat fallacem animum promittentis noſſe, tunc enim ſibi debet imputare, & voluntarie videtur fraudi conſenſiſſe. Sic *D. Thom. D. Ant. Angel. Sylveſt. Tabien. Armilla, Petrus de Ledeſma, Enriquez, Ludovic. Lopez, Capua allegati num. 3.*

8 Imo hæ duæ limitationes verum tenent, quamvis juramentum fictum ſine animo ſe obligandi interceſſerit: quia id juramentum non obligat ex vi juramenti, ut dixi diſp. 9. n. 9. ſic videntur expreſſe tenere *D. Ant. Navar. Sylv. Lud. Lop. 1. p. inſtruct. c. 76. f. 187. col. 1. cit. n. 3.* cum enim diviſſent teneri ficte promittentem deflorataam ducere, & maxime ſi juramentum interceſſit, ſubdunt, niſi ſit notabilis diſparitas, vel alia ſigna fraudis appareant: & tenent expreſſe *Capua l. 2. deciſ. c. 78. n. 6.*

9 3. Limita, niſi ex eo matr. ſcandalum magnum timeatur probabiliter, tunc enim excuſatur ficte promittens. Sic *D. Ant. 2. p. t. 5. c. 6. §. 1. Sylv. eſtr. verb. Luxuria q. 5.* qui ſubdunt petendam eſſe fidei datæ remiſſionem: hoc tamen non eſt neceſſarium, & ita credo eos ſentire: alias nil diceret, nam remiſſione obtenta, nulla eſt opus cauſa, ut fides non ſervetur. Quare dicendum eſt cum ipſimet ſatis eſſe pecuniis damnum illatum refarcire: quod quidem clarius conſtabit infra diſp. 14. n. 3. ubi probabimus idem dicendum eſſe, quando vera eſſet promiſſio, nedum quando eſt ficta.

10 4. Limita, niſi ex eo matr. probabiliter malus exitus timeatur, ut ſi promittens norit puellam eſſe notabiliter levem, unde probabiliter peſſimum exitum timeat: Sic *Enriq. l. 11. de matr. c. 11. n. 2. Manuel 1. tom. ſum. in 2. edit. c. 208. n. 8.*

11 5. Limita niſi femina decipiat virum, dicendo, vel fingendo ſe eſſe virginem, quia in injuriis datur compenſatio: imo licet ipſa non deciperet, ſi promittens ficte matr. exiſtimabat eam virginem, & poſtea comperiat non eſſe, non tenetur eam ducere. Probatur, quia hæc eſt vera cauſa diſſolvendi ſponſalia vera, nedum ficta. Sic *Corduba ſum. q. 49. & in quæſtion. l. 1. q. 13. diſt. 3. Lud. Lop. 1. p. inſtr. c. 76. f. 190. col. 1. Petrus de Ledeſ. de matr. q. 45. art. 4. dub. 1. ad confirm. tertii, Manuel 1. to. ſum. in 2. edit. c. 208. n. 8.* Rogabis tamen, an teneatur hoc caſu vir reſtituere feminæ aliquid ratione copulæ: & quidem quando femina non decepit, aſſerunt *Corduba ead. q. 13. diſt. 3. & Manuel eod. n. 8.* teneri reſtituere, quia femina non fuit deceptionis cauſa, nec aliquam injuriam intulit viro, qua compenſetur injuria ipſi illata. Verum, quando femina decepit virum fingendo ſe virginem, credo nil teneri virum reſtituere: tantum enim tenebatur ducere, & femina ſua deceptione cauſa fuit, ut ab hac obligatione vir eximatur. Hinc infero non tantum, quando vir deceptus eſt in virginitate, ſed etiam quoties eſt alia deceptio notabilis ſufficiens ad vera ſponſalia dirimenda, non teneri eam ducere, quia eadem eſt ratio.

12 Aliqui intelligunt hanc limitationem, niſi poſtquam vir defectum virginitatis novit, eam carnaliter cognoſcat. Quia tunc videtur confirmare promiſſionem. Ipſi non probant, ſed poteſt probari ex *c. Per tua 3. de condit. appoſit.* ubi habetur, promittentem ſub conditione videri ab ea recedere per carnalem copulam, præſumique matr. ubi *Gloſſ. verb. Præſumendum*, ait hoc eſſe favore matr. inductum, quia per copulam videtur a conditione recedere, & exprimere conſenſum de præſenti. Sed credo hanc limitationem non eſſe veram: nam *textus cap. Per tuas*, loquitur quando vera ſponſalia præceſſerant. Item quia hæc eſt præſumptio, quæ in foro conſcientiæ, in quo veritati ſtatur, ceſſat. At hic nunquam conſenſit, & ſi decipit, deceptus eſt, & ubi ceſſavit deceptio, nil promiſit: & maxime hoc verum eſt: retenta opinione, quam amplectemur n. 13. promittentem ficte corruptæ, non teneri eam ducere.

13 Similiter non tenebitur ducere, ſi femina deflorata poſtea cum alio fornicetur; quia hæc eſt cauſa juſta recedendi a veris ſponſalibus. Et ita de eo, qui contraxit clandeſtine; & feminam cognovit, non teneri ducere, ſi poſtea fornicetur, docet *Nav. l. 4. conſil. in priori edit. tit. de ſponſal. conſ. 1. n. 6.* & idem credeem quoties ſupervenit cauſa notabilis ſufficiens ad ſponſalia diſſolvenda. Quia eadem eſt ratio. Addit *Navar.* teneri tunc reſtituere damnum, caſu quo ante fornicationem tenebatur: quis autem ſit caſus iſte, explicat *n. 4.* quando ſcilicet vi, aut dolo eam deflorat, ſecus quando ſponte: & ratio eſt, quia fornicatio ſubſequens obligationem jam contractam non peremit; quare de eo, qui ficte promiſit, videtur, dicendum teneri reſtituere, quia dolo extorſit copulam. Ceterum verius credo non teneri: quia ante fornicationem tantum tenebatur veram facere promiſſionem, eam ducendo, in faſtitate enim promiſſionis verſabatur injuſtitia: ergo ſi culpa feminæ non tenetur eam ducere, ad nil amplius tenebitur. Imo quando vi deflorat, & pacto inito convenerunt vir, & femina de matrim. contrahendo, ad illam injuriam refarciendam, ſi poſtea femina fornicetur, nil tenetur vir reſtituere, quia quamvis ratione violentiæ tenebatur eam dotare, hæc tamen obligatio pacto utriuſque commutata eſt in matrimonium contrahendum, ergo poſtquam obligatio matrimonii culpa feminæ ceſſavit, prior obligatio non reviviſcet, nam obligatio ſemel extincta non reviviſcit, *l. cum ex cauſa, C. de remiſ. pign.*

14 Si autem ficte promittens virgini, tantum haberet tactus cum ea, non teneretur eam ducere, ſed alio modo reſtituere: ut bene *Navar. l. 4. conſ. in 2. edit. tit. de ſponſalibus, conſil. 20.* quia non tanta eſt injuria.

15 Demum obſervandum eſt, quando ficte promittens jam non poteſt feminam deflorataam ducere, quia ſacris initiatus eſt, vel alteri matr. copulatus eſt, teneri illi feminæ de nuptiis providere. Sic docent *D. Th. Sylv. Tabiena, Petr. de Ledeſ. citati n. 3. idem Soto 4. d. 27. q. 1. art. 3. verſ. Alia præcipua;* quod

quod non intelligas, ut teneatur integre dotare, ſed eo modo, quo tenetur vi vel fraude deflorans virginem. Si autem fictus promiſſor velit puellam ſic deceptam ducere, & parentes ejus nolint, tenetur ei reſtituere, dotem conſtituendo, juxta *Sylv. verb. Luxuria, q. 5. fin Navar. ſum. c. 16. n. 18. Enriquez l. 11. de matrim. c. 11. n. 2.* ubi *junctio commento lit. I.* dicit eſſe probabile ad nihil teneri, quando ipſa recuſat matrimonium. Sed ego exiſtimo, nec in priori caſu teneri: ſatisfacit enim, ſi ad ipſam ducendam paratus ſit, hoc enim in corporis pretium ſpopondit: ergo quamdiu per ipſum non ſteterit, quominus matrimonium ſequatur, liber eſt ab alia obligatione.

16 Utrum vero ſi fictus promiſſor, caſu quo tenebatur deflorataam ducere, injuſte aliud matrimonium iniit, & viduus efficiatur nondum reſtitutione facta, teneatur ad prius matrimonium, dicam infra diſp. 49. n. 4. & 5.

17 Ad argumentum prioris ſententiæ propoſitum n. 2. reſpondeo non æque ſatisfacere, ſi non reddat debitum in propria ſpecie: ut ſatis probavi n. 3.

SUMMARIUM.

An quando vir eſt notabiliter dignior, vel præbuit indicia ficti conſenſus, teneatur deflorataæ reſtituere, 1. opinio teneri, n. 18. 2. Verior non teneri, 19.
Poſt num. 19. invenies alia ſummaria.

18 Quæſtio II. Utrum, quando vir eſt notabiliter dignioris conditionis, vel alia indicia præbuit ficti conſenſus, ita ut femina facile poſſet præſumere dolum, teneatur deflorans ea ficta promiſſione ei aliquid reſtituere (non enim teneri eam ducere, hucuſque probavimus,) aliqui cenſent teneri reſtituere, quia dolo deflorayit, & ſubinde injuſtitiam admiſit. Ita *Soto 4. d. 27. q. 1. art. 3. verſ. Alia præcipua, Nav. ſum. Latina, c. 22. n. 76. & cap. 16. Latine, & Hispane n. 18. Ledeſ. 2. p. q. 18. art. 2. ante dub. 2. concl. 3. f. 241. col. 1. Veracruz 3. p. ſpecul. art. 19. concl. 3. Cord. in quæſtion. l. 1. q. 13. verſ. Secundum dictum, & verſ. Tertia pars, Beja caſu 18. Bart. a Led. de matrim. dub. 19. f. 1294. Lud. Lop. 2. p. inſtr. in 2. edit. materia de matr. cap. 36. f. 1036. & 1. p. c. 76. f. 189. col. 1. fin. & ſeq. Petr. Led. de matr. q. 45. ar. 4. dub. 1. concl. 2. Capua l. 2. dec. c. 78. n. 6. fin.* & hanc ſent. dicit probabilem *Enriq. l. 11. de matr. c. 11. n. 2. junctio commento lit. G.* & eam ſupponit *Nav. l. 2. de reſt. c. 3. p. 4. dub. 2. in 2. edit. n. 427.* Non tamen omnino convenit inter hos DD. circa quantitatem reſtituendam; nam *Nav. eodem c. 16. n. 18. Corduba, Veracruz, Beja* ſentiunt teneri integre reſtituere, eo modo, quo decipiens, vel vi corrumpens, eo quod talis ficta promiſſio habeat vim precum importunarum, quæ violentiæ æquipollent. Melius tamen *Soto, Capua, Lud. Lop. Petr. de Ledeſ.* dicunt, non ita integre teneri reſtituere, ſed prudentis arbitrio conſiderantis ex una parte damnum, ex altera vero ſua ſponte feminam deceptam eſſe, & hæc ſententia eſt ſatis probabilis.

19 Probabilius tamen credo, nil teneri reſtituere, quia cum propter notabilem diſparitatem, vel alia fraudis aperta ſigna viderit femina, vel prudenter videre debuerit, ſe decipi, & nulla neceſſitate coacta in ſtuprum conſenſerit, libere videtur conſenſiſſe. Item, quia quamvis fictus promiſſor deliquerit contra juſtitiam intentione decipiendi, ac ea intentio effectu ſuo deſtituta eſt, femina enim ſeipſam decepit, intentio autem ſola mente retenta non obligat ad reſtitutionem. Ita videtur ſentire *D. Th. 4. d. 28. q. unica, art. 2. ad 4.* quem ſequuntur *D. Ant. 3. p. tom. 1. c. 19. initio, Roſella Matrim. 4. num. 2. Sylv. Matrim. q. 4. 8. Tabiena, verb. Reſtitutio q. 22. §. 23. & Matr. 2. q. 7. §. 7. fin.* ubi hæc ait, *ſi quis doloſe contraxit, & extorſit copulam a virgine, & cum alia contraxit, teneatur ei ſatisfacere, & providere de nuptiis, niſi fuerit multo melioris conditionis, vel aliud evidens ſignum fraudis adfuerit; tunc enim non tenetur etiam providere de nuptiis ſecundum quoſdam, quia præſumitur velle decipere,* & docent expreſſe *Angel. v. Stuprum n. 1. Armill. v. Reſtitutio nu. 22. Victoria ſumm. de matr. n. 265. Lud. Lop. l. 1. de contract. cap. 50. in ſolut. ad 5. f. 287. Vega l. 2. ſum. caſ. 239.* & dicit probabilem hanc ſentent. *Enriquez num. præced. citatus.*

Ad argum. contrarium conſtat ex dictis n. 19.

SUMMARIUM.

An, quando femina ignoravit exceſſum, aut ſi novit, taliter ei promiſit deflorator, ut prudenter crederet potuiſſet vere promittere, teneatur fictus promittens.
1. Opinio, teneri, n. 20.
2. Non teneri, n. 21. Poſt quem invenies cetera ſummaria.

20 Quæſtio III. An fictus promiſſor matrimonii multo dignioris conditionis teneatur deflorataam ducere prorſus ignaram exceſſus illius, vel ſi erat conſcia, taliter ei promiſit, ut vir prudens merito crederet vere promittere? Duplex eſt ſent. I. docet teneri: quia eſt contractus, & mulier ex ſua parte implevit. Nec poteſt dici a ſe ipſa deceptam eſſe, leviterque fidem adhibuiſſe: ergo tenetur eam ducere: nec ſatis eſt pecuniis ſatisfacere, cum in propria ſpecie ſatisfieri poſſit. Sic videntur tenere *D. Th. Sylv. D. Ant. Angel. Armil. Tabiena, Nav. Lud. Lop.* ubi eos retuſi n. 5. *Soto 4. d. 27. q. 1. art. 3. verſ. Alia præcipua*, ubi dicunt fictum promiſſorem notabiliter dignioremnon teneri feminam ducere, quia præſumitur feminam voluiſſe decipi: cum ergo in hoc caſu eſſet hæc præſumptio, videntur clare ſentire teneri: idem videtur tenere *Enriquez lib. 11. de matr. cap. 11. n. 2.* ubi ait non teneri ducere, quando femina novit exceſſum: idem tenet expreſſe *Navar. lib. 2. de reſtit. cap. 3. part. 4. dub. 2. in 2. edit. n. 427.* & hæc ſententia eſt ſatis probabilis.

II. Sententia probabilior affirmat teneri reſtituere inſtar vi, vel fraude deflorantis, non tamen ducere. Probatur, quia non tenetur ad eam ducendam ratione promiſſionis, fuit enim ficta, & invalida, nec ratione injuſtitiæ, & injuriæ illatæ, quia injuſtitia non obligat ad reſtituendum plus quam damnum æſtimatur: ſed damnum ablatæ dolo virginitatis non tanti æſtimatur, ac virum notabiliter dignioremeam feminam ducere: ergo nulla ratione tenetur. Et confir. quando in contractu ſervatur æqualitas, uno implente, tenetur alter implere, at quando eſt inæqualitas, non tenetur ficte contrahens integre implere, ſed æquale reddere tenetur: quare ſi res promiſſa reddita in propria ſpecie eſſet multo inæqualior, non eſſet reddenda, ſed juſtum pretium rei per alterum contrahentem geſtæ: ergo cum matrimonium promiſſum ſit multo inæqualius deflorationi, non tenetur ad id ficte promittens. Quod ſi urgeas, contra juſtitiam hunc negaſſe conſenſum, ergo ſi lege juſtitiæ erat debitus, neceſſario erit modo præſtandus, cum nulla cauſa nova eximens ab hoc juſtitiæ debito, adſit. Reſp. non peccaſſe contra juſtitiam negando conſenſum, cum enim eſſet multo inæqualior deflorationi, non tenebatur ex juſtitia habere conſenſum: quare tantum injuſtus fuit in ea deceptione, forte enim femina conſentire nollet, ſi æqualis recompenſa eſſet ei reddenda. Sicut promittens, meretrici valde ſuperfluum in ſui corporis pretium ficte tamen, injuſtus eſt decipiendo, non tamen tenebatur ex juſtitia habere conſenſam reddendi niſi æquale. Hanc dicit eſſe valide probabilem *Cord. in quæſt. lib. 1. q. 13. verſ. Secundum dictum, & Veracruz* dicit eſſe probabilem *3. part. Specul. art. 19. concl. 4.* & tenet *Manuel 1. t. ſum. in 2. edit. c. 208. n. 8.* & videtur tenere *Petr. de Ledeſ. de matr. q. 45. art. 4. dub. 1. concl. 2.* reddit enim rationem, cur notabiliter dignior non teneatur ad matrim., quia nemo inæquale reſtituere tenetur. Idem videtur ſentire *Capua l. 2. dec. 78. n. 6.* ait enim teneri dotare, quando tam conſtanter promiſit, ut minime fallendi animus præſumatur. Nec placet moderatio hujus ſententiæ, quam ponit *Manuel cod. n. 8.* nempe teneri dotare, quando femina viro diviſet ſe nullo modo conſenſuram, niſi chirographo ſibi tradito matrimonii promiſſionis: quia in hoc caſu noluit virtute decipi, & ſic ait reſpondiſſe viros doctiſſimos. Sed minus ſibi conſtat, quia etiam dum femina ignoravit exceſſum, voluit virtute decipi: unde indiſtincte dicendum eſt, minime teneri, ratione inæqualitatis in contractu.

Ad argumentum conſtat ex proxime dictis in hac ſecunda ſententia.

SUMMARIUM.

An ſi quis ficte promittat feminæ, quam novit corruptam, matrimonium, ſi tradat corpus, teneatur, 1. ſententia, teneri, num. 22. 2. Verior, non teneri, n. 23.
Quid ſi erat vidua bonæ famæ, vel aliud damnum patitur, num. 24.
Poſt num. 24. invenies alia ſummaria.

Quæſtio IV. An ficte promittens corruptæ matrimonium, teneatur ſi corruptionis conſcius ſcit, & uterque paris conditionis ſit, & ſub hac ſpe tradidit femina ei corpus? Quidam ajunt teneri, quia fuit contractus, nec eſt diſparitas inter contrahentes, nec fraus aliqua ex parte feminæ. Ita *Palud. 4. d. 28. q. 1. art. 2. concl. 4. nu. 14. Corduba ſum. qu. 49. Lud. Lop. 1. part. inſtr. in 2. edit. c. 76. f. 189. col. 2. & 6. part. materia de matrim. c. 36. f. 1035. col. 2. Manuel 1. tom. ſum. in 2. edit. c. 208. n. 8.* falſo allegans *Scotum & Navar.* & limitat, quando eſt mutua promiſſio. Et hæc ſententia eſt probabilis.

Probabilius tamen credo non teneri, ſed alio modo injuriam compenſare, quia eam ducere non eſt æquale copulæ cum corrupta, ſed longe majus. Sic docent *Veracruz 3. part. Spec. art. 19. concl. 6. Enriquez l. 11 de matr. c. 11. n. 2. in commento, litt. R. Lud. Lop. 1. p. inſtruct. c. 77. §. Hinc emergit.*

In hoc tamen caſu crederem veram priorem ſent. quando eſſet vidua bonæ famæ, infamiamque ex copula contraheret, ob quam inepta redderetur matrimonio, quia non videtur aliter poſſe refarciri damnum. Sic *Nav. l. 4. conſ. t. de ſpoſ. in priori edit. conſ. 48. in poſteriori, conſ. 7. Lud. Lop. 1. p. inſtr. c. 77. §. Hinc etiam liquet Petr. de Led. de matr. q. 45. ar. 4. dub. 1. in ſol. ad confir. tertii.* Nec audiendus eſt *Verac. 3. p. ſpec. a. 19. concl. 6.* dicens fictum promiſſorem non teneri ducere corruptam cujuſcumque ſit conditionis.

SUMMARIUM.

An quando contrahentes ſunt æquales, nec aliud damnum ſequitur, teneatur fictus promiſſor ad matrimonium. 1. Sententia, teneri, n. 25. 2. Verior, non teneri, n. 26.
Poſt quem invenies cetera ſummaria.

Quæſtio V. An ſi contrahentes ſponſalia, æquales ſint, & alter vere promittat, teneatur fictus promiſſor contrahere,

here: quando nullum aliud præter violatam fidem, ſequitur damnum? Aliqui aſſerunt (& eſt probabile) teneri: probatur, quia quamvis non tenetur ratione promiſſionis, tenetur tamen ratione injuſtitiæ admiſſæ. Quod ſic probo: hic violavit juſtitiam ficto conſenſu, ergo tenetur habere veram, ut injuſtitiam auferat, nec ſatis erit pecuniis ſatisfacere, quia non ſatisfit in eadem ſpecie debita, nec vere conſentiendo reddetur inæqualis: quia ſicut vir ſe obligavit feminæ, ita femina illi, & utraque obligatio æqualis eſt. Sic *Petr. de Ledeſ. de matr. queſt. 43. art. 1. diſt. 4.*

20 Dicendum tamen eſt non teneri, quia licet peccarit contra juſtitiam intendens in re graviſſima decipere; at quia revera, & coram Deo alter ſibi non obligatur, injuſtitia illa, & deceptio manſit in intentione, nec habuit effectum, unde ſi maneret fictus promiſſor obligatus coram Deo, redderet inæquale: ſicut ſi ficte promitteret Petro 100. aureos ſi Romam peteret, & antequam petat; diſſolvo contractum, injuſtitiam non admitto; nam ratione promiſſionis, quæ ficta fuit, minime teneor, nec ratione injuriæ, quia alter nihil dedit, nec amiſit: & ſicut ego non ſum obligatus, ita nec alter mihi. Sic tenent *veracruz 3. p. Spec. art. 19. concl. 5. Cord. in quæſtion. l. qu. 13. verſ. Secundum dictum. Enriq. l. 11. de matr. c. 11. n. 2. in commento, litt. L. & c. 13. n. 2.* ubi dicit, tunc tantum obligare, quando ſequeretur ſcandalum, vel injuria tertii *P. Molin. tom. 2. de juſt. tract. 2. diſp. 353. fol. 591. ante verſ. Illud eſt obſervandum.*

Ad argumentum contrarium dico peccaſſe contra juſtitiam ficto conſenſu, quoad intentionem, non tamen habuit effectum, cum nullum damnum, nec aliqua alterius obligatio ſubſequatur.

SUMMARIUM.

An quando filius promiſſor non tenetur ducere, poſſit rogatus a judice negare promiſſionem, & ibi de variis juramenti æquivocationibus, n. 27.

Quid quoties vere promittens tenetur implere, n. 28.

27 QUæſtio VI. An quando ficte promittens immunis eſt a matrimonii obligatione, poſſit rogatus a judice negare ſe promiſiſſe? Brevi reſp. poſſe, ne ſi ſatuatur promiſſionem, cum intentionem probare nequeat, cogatur ad matrim. Prob. quia tum judex roget, ut ad matrim. debitum cogat, ſenſus interrogationis eſt, Promiſiſti matr. ita ut tenearis? ergo vere reſpondit, Non promiſi, intelligendo ita ut tenear. Sic tenet *Navr. c. Humanæ aures, 22. q. 5. in q. 1. in finali*, ubi ait rogatum a judice, num hæc verba protulerit, Accipio te in meam, poſſe juramento negare ſe dixiſſe, ſi ficte ea protulit: idem tenet in propriis terminis *Manuel. 1. to. ſum. 2. edit. c. 245. n. 12.* & probatur ex ea doctrina, quam cum aliis, quos refert. tradit *Cov. 5. variar. c. 2. n. 4.* interrogatum a judice num mutuo receperit nummos, quos revera jam non debet, poſſe jurare ſe non recepiſſe: quia non recepit ita, ut nunc teneatur ſolvere: & ex ea doctrina, quam tradit *Silv. v. Mendacium, qu. ult.* ubi dicit clericum a cuſtodibus rogatum, num aliqua portet, ut gabellam ſolvere compellatur, poſſe juramento negare intelligendo ſe nihil portare, ex quo gabellam debeat: & tandem ex illa doctrina, quam tradunt *idem Silv. Juram. 3. q. 2. Navar. ſumm. c. 21. n. 19. Philiarchus de offic. Sacerd. l. 1. p. 2. l. 3. c. 14. fine*, nempe rogatum ab urbis cuſtodibus num veniat ex tali loco, quem falſo putant peſte infectum eſſe, ſi norit minime peſte affici, poſſe jurare ſe ex eo non venire, intelligendo, ex eo, peſte infecto, ut cuſtodes rogare debent.

28 Ex his infero, idem dicendum eſſe, quoties aliquis vere promiſit matrim. non tamen tenetur ſervare fidem ob aliquam cauſam, ut quia altera fornicata eſt, & cetera: poteſt enim juramento negare promiſſionem, intelligendo, ita ut teneatur. Quod non tantum intelligo verum eſſe, quoties certa eſt cauſa non implendi promiſſum, ſed etiam quando ſapientium judicio eſt probabile non teneri ſervare: poteſt enim jurare ſe non promiſiſſe, ita ut teneatur, quia tuta conſcientia innitens opinioni probabili, poteſt ſe non obligatum exiſtimare, & hanc partem tueri.

DISPUTATIO XI.

Utrum ficte contrahens matrimonium per verba de præſenti, abſque interno conſenſu, teneatur vere contrahere?

SUMMARIUM.

An ſecundum matrim. contractum poſt illud fictum, ſit validum, & explicatur c. Ex qui fidem de ſponſ. n. 1.

Et ibi an ſufficiat, ut filius conſentiens poſtea interne conſentiat.

An peccet ficte contrahens matrim. quamvis juſta cauſa intercedat, n. 2. & quid, ſi juret matrimonium, & de variis juramenti æquivocationibus, cod. n. 2.

An ficte contrahens matrim. teneatur vere contrahere, 1. opinio non teneri, n. 3. 2. Teneri, n. 4.

Opinio authoris, num. 5.

Quid ſi non ſit virgo, num. 6.

Quid ſi promittens non habuit copulam, num. 7.

Quid ſi diſpares conditione ſint, vel alia fraudis ſigna appareant, num. 8.

Quid ſi timeatur ſcandalum, vel malus exitus, n. 9.

An fictus hic contrahens abſolvendus ſit, antequam vere contrahat, 10.

Solvuntur argumenta, 11.

QUamvis diſp. hæc potius ad librum ſequentem, ubi de conſenſu requiſito ad matrim. agatur, pertineat: conſultius tamen duxi diſputare, quia eſt valde præcedenti annexa, & ex eiſdem principiis decidenda eſt. Conſtat igitur matrim. illud fictum, invalidum eſſe defectu conſenſus, utrum autem ſat ſit, ut hic fictus poſtea interne conſentiat, dicam lib. 2. diſp. 32. a n. 9. uſque ad 13. Non tamen conſtat, an ſecundum matrim. poſt illud contractum, validum ſit, nam *Hoſtienſis c. Is qui fidem, de ſponſ. propę finem*, licet dubius tenet hoc ſecundum matrim. irritum eſſe, idem *Joi. Andr. ibi, n. 4. Anchar. nu. 5.* & videtur cenſere eſſe probabile, *Ant. ibi nu. 8. Propoſ. n. 3. fine*, ſolum enim appellat oppoſitam ſententiam tutiorem, & ducuntur textu *d. c. Is qui*, ibi, *licet præſumptum primum matr. videatur, contra præſumptionem tamen hujuſmodi non eſt probatio admittenda. Ex quo ſequitur, quod nec verum, nec aliquod conſentatur matrimonium, quod de facto eſt poſtmodum ſubſecutum*, ubi clare videtur hoc matrim. fictum ex ſtatuto Eccleſiæ eſſe impedimentum dirimens matrim. poſtmodum ſubſecutum. Dicendum tamen eſt, poſterius matrim. eſſe validum: nullus enim reperitur textus ſtatuens matrim. poſterius dirimi per prius fictum, nec obſtat, *d. c. Is qui fidem*, nam bene reſpondet *Abb. ibi n. 4.* illum textum non diſponere ſecundum matrim. eſſe irritum, ſed illative loqui, ſi primum matrim. quod de jure præſumitur, verum ſit, ſecundum eſſe nullum: quare ſi prius ſit irritum, non habebit locum illatio, & ſecundum erit legitimum, & ita docent *D. Th. 4. d. 27. q. 2. art. 1. quæſtiun. 4. ad 1. Paluad. 4. d. 28. q. 1. art. 2. concl. 3. n. 13. Sotus 5. d. 27. q. 1. art. 3. verſ. Alia præcipua, Adrian. 4. q. 2. de matr. ad 2. Veracruz 3. part. Speculat. art. 19. in ſolut. ad 3. Petrus de Soto lect. 3. de matrim. §. Primum igitur. Barth. a Led. de matrim. dub. 19. fol. 1295. Capua l. 2. dec. c. 78. n. 5. Manuel 1. to. ſum. in 2. edit. c. 208. n. 7. Enriq. l. 11. de matrim. c. 11. n. 3.* & ex Juriſperitis, *Panor. dec. Is qui, nu. 4.* & *ibi Vincen. & Alex. de Nevo nu. 9. Alanus ſumma confeſſorum, & Aſtenſis*, quos refert, & ſequitur ibi *Henricus num. 12. Roſell. matrim. 4. nume. 2. Angel. matrim. 2. n. 15. Silv. matrim. 4. qu. 8. Nav. ſum. c. 22. n. 76.* & hanc partem dicunt eſſe tutiorem *Ant. d. c. Is qui, n. 8. & ibi Præpoſ. n. 3. fin.*

Deinde conſtat hunc ficte contrahentem matrimonium peccare mortaliter; infert enim notabilem injuriam in re graviſſima, alteri contrahenti. Sic *Cajet. ſum. v. matr. c. Matr. poteſt ex ſeptem capitib. reddi vitioſum, §. Et ſcuto, & ibi Arm. n. 65. Nav. ſum. c. 22. n. 67. Petr. de Soto lect. 3. de matrim. §. Primum igitur. Ant. Cucus l. 5. inſt. majorum, t. 12. n. 46. Petr. de Ledeſ. de matr. q. 45. art. 4. dub. 1.* Quod tamen intelligendum eſt, niſi ex urgente cauſa, ut gratia vitandi magni ſcandali, id faceret. Sic *Navar. eod. c. 22. n. 78.* ubi abſolute dicit tunc non peccare: quod difficultate non caret, quia ea fictio videtur quoddam mendacium, cum aliud verbis quam mente contrahens profiteatur. Verum credo, nec venialiter peccare, ſi æquivocatione utatur, dum verba profert (ea enim uti, ubi juſta cauſa ſubeſt, communis ſententia habet) ut ſi intelligat, Accipio te in meam, ſi ad id teneor, ſicut in ſimili aſſerunt *Silv. Juram. 4. q. 7. §. 2. Ang. Juram. 5. n. 8. Nav. ſum. c. 12. n. 14. Lud. Lop. 1. part. inſtr. cap. 42.* coactum a latrone jurare ſe daturum illi nummos, poſſe abſque perjurio id jurare, retinendo mente, Si ad id ſecluſo juramento teneor, nec eſſe perjurum, ſi intendat non dare, ſciens minime teneri. Similiter etiam id probatur ex doctrina, quam tradunt *Angel. Juram. 4. init. Silv. Juram. 3. q. 2. Tabiena v. Jurare n. 14. Armill. v. Juram. n. 16. Nav. d. c. 12. n. 9. Lud. Lop. d. c. 42. Philiarchus de offic. Sacerd. t. 1. p. 2. l. 3. c. 14. ad fin.* ubi concedunt feminam excommunicatam, eo quod non cohabitat viro, quem novit non eſſe ſuum, poſſe in articulo mortis conſtituram jurare ſe cohabitaturam, intelligendo ſi ad id teneatur, ut vel ſic excommunicationis abſolutionem obtineat: & tamen non poteſt habere animum cohabitandi, ergo ſimiliter in noſtro caſu licebit uti eadem æquivocatione. Quod ſi opponas irritum reddi ſacramentum, dico cum *Enriq. l. 11. de matr. c. 9. n. 6.* diverſum eſſe in hoc ſacramento, & in aliis ſentiendum, cum enim ultra ſacramenti rationem, contractus naturam induat, poteſt ea ratione qua contractus eſt, abſque ſacramenti injuria irritum reddi, quando cauſa juſta ad id cogit.

His præmiſſis duplex eſt ſent. I. docet non teneri ficte contrahentem matrim. vere conſentire, Prob. nam ficte profitens non tenetur ſecluſo ſcandalo vere profiteri, ſed poteſt ad eum locum ſe recipere, ubi ceſſat ſcandalum: ergo ſimiliter ficte ducens uxorem, non tenetur eaſſante ſcandalo vere ducere: utrobique enim eſt ficta traditio, illic monaſterio, hic autem uxori, & injuria recipientis: Antecedens fatetur *Sotus l. 7. de juſt. q. 1. a. 2. verſ. Anvero, qui tale votum. Nav. c. Statuimus, 19. q. 3. n. 75. Angles floribus 2. p. q. 1. de voto, art. 1. diſſic. 4. Enriq. l. 11. de matr. c. 11. n. 3. fin. Arag. 2. 2. q. 88. ar. 1. f. 969. vol. 1. ab init. Manuel 2. t. ſum. c. 92. n. 5.* Item quia nullam injuriam irrogare videtur, cum neuter maneat vere obligatus, ut in ſimili dixi de ſponſalibus, quibus, diſp. præced. n. 26. Poteſt etiam probari aliis urgentiſſimis rationibus, quibus infra l. 4. diſp. 15. nu. 54. probabimus metu extorquentem a femina matrimonium, quamvis ipſa poſtmodum velit ratificare matrimonium illud, minime teneri: hanc ſent. videntur tenere *Hoſt. c. Ex parte, de ſponſ. D. Ant. 3. p. t. 1. cap. 19.*

cap. 19. init. Tabien. Matrim. 2. q. 7. §. 8. fin. dicunt enim ficto contrahentem ſecuta copula teneri ducere, vel aliter ſatisfacere: favent etiam *Roſel. Angel. Silv. Barth. a Ledeſm. fol. 1297. Manuel*, quos retuli nu. 1. *Covar. 4. decret. 2. p. c. 2. n. 4* ubi tunc ficte contrahentem obligant ad verum conſenſum, quando interfuit virginis defloratio: quaſi aliud ſentiant, quando ſolus adfuit fictus conſenſus. Et in propriis terminis eam tenet *Led. 2. 4. q. 47. art. 4.* & aperte ſentit eſſe probabilem *Victoria ſum. de matr. n. 252.* dicit enim oppoſitum non ſufficienter probari: & ſentiunt eſſe probabilem aliqui moderni, teſte *Petr. de Ledeſm. de matr. q. 45. art. 4. dub. 1. §. In hac difficultate fin.*

4 II. Sentent. docet teneri. Prob. quia eſt utrimque contractus Do, ut des, & alter jam implevit tradendo poteſtatem ſui corporis per verum matrim. ergo fictor tenetur vere implere. 2. quia ſequitur alteri graviſſimum damnum, cum enim in foro Eccleſiæ probare nequeat fictum alterius conſenſum, non permittetur aliud inire matrim. cogeturque continenter vivere. Tandem probari poteſt rationibus, quas afferam l. 4 diſp. 15. n. 4. ad probandum cogentem feminam ad matrim. teneri ipſa volente ratificare. Hanc ſent. videtur tenere *D. Th. 4. d. 27. q. 1. a. 2. quæſtiunc. 4. ad 1.* ait enim hunc ficte contrahentem puniri in foro Eccleſiæ, & in foro pœnitentiæ: cum ergo in foro Eccleſiæ fit certum cogi ad illud matrim. videtur ſentire idem eſſe in foro conſcientiæ, & expreſſe eam tenet *Scot. 4. d. 30. q. 1. verſ. Reſpondeo ſtante illo dolo, Major. 4. d. 27. q. 1. Adrian. 4. q. 2. de matr. ad 2. Sot. 4. d. 27. q. 1. art. 3. verſ. Alia præcipua P. de Soto* dicens eſſe indubitatam, *lect. 3. de matr. §. Primum agitur Nav. ſumm. c. 22. n. 76. Met. l. 1. ſum. c. 16. §. 13. f. 231. col. 2. Enriq. l. 11. de matr. c. 11. n. 3. Bannez 2. 2. q. 77. a. 3. dub. 1. ad 2. confir. P. de Ledej. de matr. q. 45. ar. 4. dub. 1.* afferens priores ſent. eſſe improbabiles.

5 Sic concl. hæc 2. ſent. moraliter, & regulariter eſt veriſima: nam ſemper ſequitur notabile damnum feminæ, tum in fama, quare alii nubere non poterit: tum etiam quia non permitteretur aliud inire matr. Ceterum ſi nullum ex his damnis, nec aliud notabile ſequeretur, probabiliorem reputo priorem ſententiam, his enim ſecluſis damnis maxime urgent ejus rationes.

6 Hæc autem 2. ſententia extenditur, ut vera ſit, quamvis femina ficte ducta, non ſit virgo: adhuc enim damnum graviſſimum patietur, cum continenter vivere compellatur. Ita *Sot. Bannez, P. de Led. n. 4. allegati*, quod verum quidem eſt, niſi ipſa virum deciperet fingendo, vel dicendo ſe eſſe virginem, ut bene *Sotus, & P. de Led. ibi Enriq. l. 11. de matr. c. 11. n. 2. & 3.* Quod idem diceret, quando ipſa minime decepit, verum communiter virgo reputabatur, & ut talem vir ducebat, alias nullo modo eam ducturus, tunc enim ficte contrahens non tenetur vere contrahere: quia notabile damnum patietur contrahendo cum corrupta, & notabilis eſt mutatio inter eam, quam virginem credebat, & inter non vere virginem: item quia hæc eſt legitima cauſa diſſolvendi ſponſalia vera.

7 Extenditur 2. ut vera ſit, quamvis ficte contrahens minime copulam habuerit, adhuc enim tenetur vere contrahere, qui adhuc damnum illud ſentit decepta, ut compellatur ab illo abſtinere matrimonio. Sic videtur tenere *Sotus n. 4. citatus*, ait enim teneri ducere, præſertim ſi cognovit eam: idem *P. de Ledeſ. d. art. 4. dub. 1. concl. 1. in 4. prob.* ubi ait eſſe veram hanc ſententiam, quamvis nullum aliud damnum ſequatur, quam injuriæ ficti conſenſus.

8 Extenditur 3. hæc ſententia quantumvis contrahentes diſparis conditionis ſint; adhuc enim tenetur fingens conſenſum, vere contrahere. Sic *Barth. a Led. de matr. dub. 19. f. 1297.* Hoc tamen non placet, ſed verius eſſe credo non teneri, quia eſt maxima in contractu inæqualitas, unde ſatisfaciet alio modo reſarciendo injuriam. Sic *Roſella Matrimon. num. 4. Angel. Matrim. 2. n. 15. Silv. Matrim. 4. q. 8. Sot. 4. d. 27. q. 1. art. 3. verſ. Alia præcipua. Nav. ſum. c. 22. n. 76. Enriq. l. 11. de matrim. c. 11. n. 3. P. de Led. de matri. q. 45. a. 4. dub. 1. concl. 2.* Quanta autem debeat eſſe hæc diſparitas, dixi diſp. præced. nu. 6. Idem credo ſive femina diſparitatem norit, ſive ignorarit, ut dixi loquens de ſponſalibus, diſp. præced. n. 21. eiſdem rationibus: quia eſt maxima in contracti inæqualitas, & matrimonia inter valde diſpares, infeliciſſimos exitus habere ſolent. Idem credo quoties contrahens manifeſta ficti conſenſus indicia præbuit: quia tunc ipſa femina ſe decepit, quia ratione diſp. præced. n. 19. defendimus ad nullam teneri reſtitutionem fictum promittentem.

9 Similiter non teneretur ficte contrahens vere contrahere, quando peſſimi exitus probabiliter timerentur: ut bene *Enriq. l. 11. de matrim. cap. 11, n. 3. Petr. de Ledeſ. d. a. 4. dub. 1. concl. 2.* & diximus idem de ſponſalibus diſp. præced. nu. 10. & idem credo quando graviſſimum ſcandalum timeretur: ut de ſponſalibus dixi diſp. præced. num. 9.

10 Tandem id obſervandum eſt, quoties ficte contrahens tenetur vere contrahere, abſolvendum non eſſe, donec vere contrahat, quamvis ſe contracturum proponat. Quia attentis circumſtantiis, & rei gravitate, maximo expoſitus eſt periculo perſiſtendi in deceptione. Sic *Enriquez d. c. 11. n. 3. Petrus de Ledeſ.* afferens ſic tenere multos graviſſimoſque viros *d. dub. 1. concl. 1. fine, Bart. a Ledeſm. dub. 19. de matrim.* Quod temperandum credo, niſi ea contritionis ſigna præberet pœnitens, ut merito ac jure optimo perſuadeat ſibi confeſſarius, illum ſtatim contractarum: ut de eo, qui juſſus reſtituere in aliis confeſſionibus nondum reſtituit, aſſerunt communiter doctores.

11 Ad 1. argum. prioris ſent. nego conſeq. nam ficte contrahens matrimonium, ſi non vere contrahat, irrogat gravem injuriam feminæ, & matrimonium eſt in utriuſque contrahentis favorem, at ſi ficte profeſſus non ratificet, non videtur in grave religionis damnum, & religio potius ordinatur in bonum profitentis, quam e contra; qua ratione communis ſent. docet extrahentem abſque vi aut fraude profeſſum, nil teneri reſtituere. Ad 2. fateor ratione ſolius ficti conſenſus, ſi aliud damnum minime ſequatur, non teneri: ut diximus nu. 6. Argumenta autem ſecundæ ſententiæ ſolum probant ſubſecuto alio damno teneri vere contrahere, & non ex ratione ipſa contractus ficti: nam neuter re vera manet obligatus vero matrimonio, & ita ſervatur æqualitas.

DISPUTATIO XII.

Utrum promiſſio conſtituens ſponſalia, neceſſario fieri debeat coram parocho, & teſtibus, atque ita ſponſalia clandeſtina irrita ſint?

SUMMARIUM.

An valeant ſponſalia clandeſtina 1. ſent. non valere, nu. 1.

Pœna impoſita clandeſtino matrimonio, an conſeatur impoſita clandeſtinis ſponſalibus, & explicatur Clement. 1. de conſang. num. 2. juncti. num. 1.

Sententia verior, 1. valere num. 2.

Lex correctoria reducens ad jus commune, eſt extendenda, nu. 2. & ibi caſus omiſſus manet in diſpoſitione juris communis.

Solvuntur argum. & explicatur l. Oratio, ff. de ſponſal. & l. Si quis tutor, ff. de ritu nupt. num. 3.

DIfficultas hujus diſp. in eo verſatur, an ſicut *Trid. ſeſſ. 4. de matr. c. 1.* irritavit matrim. clandeſtinum, ita ſponſalia clandeſtina irritarit. Quidam enim cenſent eo ipſo illa irritaſſe. Prob. 1. ex *l. Oratio, ff. de ſponſ.* ibi, *Oratio, quæ quaſdam nuptias ſenatorum inibuit de ſponſal. nihil locuta eſt: rebe tamen dicitur ſponſalia in his caſibus ipſo jure nullius eſſe momenti.* Et ex *l. Si quis tutor 60. verſ. Quamvis, ff. de ritu nupt.* ibi, *quamvis verbis orationis cautum ſit, ne uxorem tutor pupillam ſuam ducat, tamen intelligendum eſt, nec deſponderi quidem poſſe.* Ergo eo ipſo quod Trid. irritavit matrim. clandeſtinum, cenſetur ſimilia ſponſalia irritaſſe. 2. nam pœna impoſita matrim. clandeſtino, cenſetur imponi clandeſtinis ſponſalibus, ut docet *Panorm. c. fin. de cland. ſponſal. nu. 6. Boniſ. Clem. 1. de conſang. n. 56. Franc. Nicoritius C. de edendo, rub. n. 32. Caſtill. l. 29. Tauri n. 10. Mex. conſ. 69. n. 66. & ſeq. vol. 1.* ergo 3. quia inhabilis ad matrimonium eſt inhabilis ad ſponſalia, ſed Trid. inhabilitat ad clandeſtinum matrimonium, ergo ad clandeſtina ſponſalia. Et confirm. ſicut ſe habet matrimonium abſolutum ad ſponſalia abſoluta, ſic clandeſtinum ad clandeſtina: ſed prohibito abſolute matrimonio ſunt irrita ſponſalia, ergo irritato clandeſtino, irritantur clandeſtina. Hanc ſent. videtur tenere *Alex. de Nevo rubr. de ſponſ. num. 6.* ubi ait quoties annullatur matrim. eo ipſo annullari ſponſalia: & *Menoch. proxime cit.* ait enim vitium clandeſtinitatis, quo vitiatur matr. vitiare clandeſtina ſponſalia: & tenent expreſſe *Alborn. tr. de art. contrah. l. 4. tit. 1. Matienz. l. 5. recop. t. 1. rubr. gl. 1. n. 45. init. & n. 51. fin.*

Dicendum tamen eſt non eſſe neceſſarium ſponſalia celebrari coram parocho, & teſtibus, ſed clam contracta valida eſſe. Prob. lex Trid. irritans matrim. clandeſtinum, eſt correctoria juris communis, & perinde extendenda non eſt ultra caſum expreſſum, *l. Præcipimus, C. de appellat.* ergo cum ſolum irritet matrimonium clandeſtinum, non debet extendi ad ſponſalia, ſed tanquam caſus omiſſus relinquendus eſt in diſpoſitione juris communis, *l. Commodiſſime, ff. de liber. & poſt.* Et confir. quia non militat eadem ratio prohibendi, matrim. etiam clandeſtinum prohibetur ad vitandum concubinatum, quo priori matrimonio clam inito ſpreto, contrahens aliam publice ducebat: cum enim de priori matrimonio Eccleſiæ non conſtaret, cogebat ad ſecundum, quod vere concubinatus erat: quod in ſponſalibus minime locum habet, nam matrimonium contractum prioribus ſponſalibus contempſis, validum eſt. 2. quia lex correctoria, per quam reducimur ad jus commune, eſt favorabilis, & extendenda, atque ita omnis intellectus, per quem ad jus commune reducimur, favorem continet, & extendi debet, eo quod res facile ad ſuam naturam redit. Docet optime *Gloſſ. c. Statutum, verb. Numerandum, de præb. in 6.* Tiraq. late probans *de primog. q. 24. n. 2. & ſeqq. Lud. Gom. regul. cancel. de jure quæſito non tollendo, qu. 16. init. Covar. 3. var. cap. 26. n. 4. Navar. de pœnit. d. 6. c. 1. §. Laborit, nu. 16. Anta Com to. 1. variar. cap. 5. num. 11. Molin. lib. 3. de primog. cap. 4. n. 25. Gutier. de juram. 1. part. cap. 51. num. 8. Enriq. lib. 3. de pœnit. c. 14. n. 7. in commento littera K.* ſed intelligendo decretum Tridentini, ut non irritet ſponſalia clandeſtina, reducimur ad jus commune, quo attento valida erant: ergo is intellectus tamquam favorabilis amplectendus eſt. 3. quia pœna appoſita contrahentibus *Clemen. 1. de conſang.* excommunicantur ducentes conſanguineam, & tamen non ligat ea cenſura ſola ſponſalia celebrantes, eo quod in oſtiolis nomine matrim. non veniunt ſponſalia, uti dixi diſp. 1. num. 2. atque ita docent *Gloſſ. Clem. 1. de conſang. verb. Contrahere, & ibi Steph. & Paul.* quos refert & ſequitur *Card. ibi qu. 18. & 19. idem Card. c. fin. de cland. de ſponſ. fin. & ibi*

ibi Hoſt. & Calder. Ant. ibi nu. 15. Anch. num. 17. Alex. de Nevo num. 15. Præp. n. 4. Felin. rubr. de ſponſ. num. 1. Curtius junior l. 2. nu. 58. ff. de juriſd. omn. jud. Jaſon. l. Cum quidam, num. 13. ff. de liber. & poſt Tiraq. poſt leges connubiales gloſſ. 2. num. 18. Sylv. excomm. 9. caſ. 41. n. 78. verſ. 6. Angel. Excomm. 7. caſ. 41. num. 2. Roſelia Excommunicatio 1. caſ. 43. n. 6. Tabiena Excommunicat. 5. caſ. 49. q. 1. §. 2. Cajet. verb. Excommunicatio cap. 47. & ibi Arm. num. 45. D. Ant. 3. p. tr. 24. c. 34. Sot. 4. d. 29. q. 2. art. 1. ad fin. verſ. Sed arguit. Navar. ſum. cap. 27. Latine num. 141. Hiſpane nu. 142. & late c. 22. num. 43. Covar. 4. decret. 2. p. c. 6. init. num. 22. Greg. Lop. p. 4. tr. 1. ante lib. 1. Suar. l. 2. fori, tit. de los caſamientos, num. 34. Ant. Gab. tom. 2. commun. in mea edit. l. 17. verſ. Sponſalia, f. 312. Veracruz 1. p. ſpecul. art. 10. §. Eſt autem ſecundo, Perez l. 5. ordin. t. 1. l. 2. init. Oroſc. l. 2. num. 24. ff. de juriſd. omn. jud. Salzedo præſt. c. 73. verſ. 9. Vivald. candel. ſacram. materia de ſponſ. c. 4. num. 47. Cord. ſumm. q. 52. Capua l. 4. decret. c. 23. num. 5. Azebed. l. 5. recop. tit. 1. l. 1. num. 10. Spino ſpecul. teſtam. gloſ. 15. num. 84. Lud. Lop. 2. p. inſtr. materia de matrim. c. 37. fol. 1041. col. 2. Barth. a Ledeſ. de matrim. dub. 25. poſt 6. concl. Vega l. 6. ſum. c. 104. ergo annullatio matrimonii clandeſtini non extenditur ad ſimilia ſponſalia. Quare hanc ſententiam tenent *Navar. ſum. Latin. c. 25. num. 144. & l. 3 conſ. in 1. edit. tit. de voto, conſ. 6. num. 3. & lib. 4. tit. de conſang. conſ. 3. n. 7. in 2.* vero *eod. tit. de vot. conſ. 3. n. 3. & l. 5. de raptor. t. conſ. 4 n. 3. verſ. 5. Veracruz append. ad ſpecul. dub. 9. Cordub. ſum. qu. 52. Guttier. l. 1. q. canonic. c. 18. num. 9. fin. & de jure 1. p. c. 51. a num. 3.* & concludit *nu. 8.* ita eſſe ſæpe practicatum, & tenere graviſſimos juriſperitos nemine contradicente, *Perez l. 5. ord. t. 1. l. 1. fol. 39. col. 1. §. Contrarium, Spino ſpecul. teſtam. gl. 15. nu. 79. & 80. Læl. Celſus ſum. caſuum reſerv. caſ. 19. Enriq. l. 11. de matrim. c. 5. nu. 8.* & dicit ſic tenuiſſe *Covar. Verac. & Buſtos*, de hac re conſultos, *& cap. 13. num. 8. Salzedo præſt. cap. 73. verſ. 9. Mendoza de caſt. l. 1. cap. 4. num. 72. Palacios 4. d. 40. qu. ult. fin. Gallego de cogn. ſpirit. cap. 13. Azeb. l. 5. recop. t. 1. l. 1. n. 14. & ſeqq. Lud. Lop. 1. p. inſtr. c. 85. fin. & 2. p. materia de matr. c. 37. f. 1041. col. 1. & c. 39. f. 1061. col. 1. Bart. a Ledeſ. de matrim. dub. 8. f. 1229. Segura direct. judic. 2. p. c. 15. n. 1. & 4. Petr. de Ledeſ. de matr. q. 45. art. 5. circa 2 pun. dub. 4. fol. 180. col. 2. fin. Manuel 1. tom. ſum. in 2. edit. c. 244. num. 10. Vival candel. ſacram. 1. p. c. 4. de ſponſ. n. 28. & 47. Vega l. 6. ſum. caſ. 104.* & tandem ſic declaratum eſſe a Cardinalibus referunt *Guttier. Azebedo, Segura, Enriquez, Manuel, Petrus de Ledeſ. ibid.*

Ad 1. arg. defumptum ex *l. Oratio, & l. Si quis tutor*, dico intelligendas eſſe. I. quando prohibetur matrimonium abſolute ſeu omnibus modis, cum enim tunc nullo modo poſſit contrahi matr. ſponſalia erunt promiſſio rei illicitæ, & ſic nulla; at contrahentes clandeſtinum matrim., tantum ſunt inhabiles ad clandeſtine contrahendum: quare promiſſio clandeſtina valet: eſt enim rei licitæ promiſſio, nempe matrimonii contrahendi eo pacto, quo jubet Eccleſia. Secundo modo ſunt intelligendæ, quando eſt eadem ratio in prohibitione matrimonii, & ſponſalium: ſic *Alex. Cin. Deci.* quos refert, & ſequitur dicens eſſe omnium, *Navar. l. 4. Conſil. 1. edit. tit. de conſang. conſ. 3. n. 6. in 2.* vero *l. 5. tit. de rapt. conſ. 4. n. 2. Oroſcius l. 2. n. 24. ff. de juriſd. omn. jud. Gutt. de jurem. p. 1. c. 51. n. 9.* & multi alii, quos refert & ſequitur *Salcedo præſt. cap. 73. §. Nec ſuperioribus*: at non eſt eadem ratio prohibitionis matrimonii, & in ſponſalibus, uti dixi num. 2. Tandem intellige, quando prohibitio matrimonii eſt perpetua, ſecus quando eſt temporalis, ut in hoc caſu, & ita explicant *Dec. Nav. Guttier. proxime cit. Greg. Lop. p. 4. t. 1 ante l. ſine, Azebedo, lib. 5. recop. t. 1. l. 1. n. 17.* Ad 2. negatur antecedens, ut probavi num. 2. Ad 3. Fateor, quando aliquis eſt perpetuo inhabilis ad matr. quocumque modo contrahendum, ut dixi in ſolut. ad 1. Ad confirmationem negatur major, quia prohibito matrimonio abſolute, ſponſalia non poſſunt cadere ſuper materiam licitam: ſicut cadunt, quando ſolum prohibetur clandeſtinum, eſſet autem vera, quando ſponſalia caderent ſupra matrimonium illo modo, quo eſt vetitum, ſcilicet clandeſtinum, ſi enim duo promitterent clam contrahere, eſſent nulla ſponſalia, tanquam rei illicitæ promiſſio.

DISPUTATIO XIII.

An ſaltem culpa ſit, ſponſalia clandeſtina contrahere?

SUMMARIUM.

Prima opinio, eſſe culpam, num. 1. & prohibito aliquo prohibetur omne, per quod pervenitur ad illud, n. 1. & 2. 2. Verior, non eſſe culpam.

1 DUplex eſt ſententia I. ait eſſe culpam, quia eo ipſo, quod *c. fin. de cland. de ſponſ.* prohibetur matr. clandeſtinum, cenſentur prohibita ſponſalia clandeſtina. Quia prohibito aliquo cenſetur prohibitum omne id, per quod perventur ad illud, *l. Oratio, ff. de ſponſ.* & probat multa cumulans *Rebuff. cap. Poſtulaſtis, in princ. num. 1. & ſeq. de clerico excomm. miniſtr.* ergo prohibito matr. cenſentur prohibita ſponſalia, quæ via ſunt ad illud. Sic tenent *Gloſſ. clem. 1. de conſang. v. Contrahere. Hoſtienſis d. c. fin. ſuper v. Contrahenda, & ibi Jo: Andr. num. 4. Card. fin. Anchar. n. 17. Abb. num. 6. Alex. de Nevo nu. 15. Præpoſ. num. 5. Ang. verb. Clandeſtinum, num. 3. Sylv. Matr. 6. qu. 7. dict. 5. & 6. Tabiena v. Sponſalia, q. 1. n. 2. & ibi Armil. num. 14.* & innuit *l. 1. t. 3. p. 4.* & docet ibi *Greg. Lop. v. Quæ los deſponſen. Roſel. v. Impedimentum, imped. 1. n. 13. Perez lib. 5. ordin. t. 1. l. 2. init.* Et ex Theologis, *Palud. 4 d. 28. q. 2. art. 2. n. 14. Cajet. ſum. Verb. Sponſalia*, imo *Cajet. & Armil.* dicunt eſſe peccatum mortale, quod idem docet *Barth. a Ledeſ. de matr. dub. 14.* ubi conſuetum eſt, denuntiationes præmittere. Et pro hac ſent. eſt *Synodalis conſtitutio Tolet. 4 tit. 4. 14.* ibi, *otrò ſi conſiderando de quantos inconvenientes ſon cauſa los clerigos, que ſe atreven inter venir en los deſposorios, o matrimonios prohibidos, mandamos, que ningun clerigo intervengan en ellos, aunque ſean de futuro*: ergo ſupponit ſponſalia clandeſtina eſſe prohibita.

Secunda ſententia omnino tenenda docet eſſe licita. Prob. quia nullo jure prohibentur: nam *c. fin. de cland. de ſponſ.* tantum prohibetur matrimonium clandeſtinum, & axioma illud, Prohibito matrimonio cenſetur prohibitum omne id, per quod ad illud pervenitur, deſumptum ex *l. Oratio, ff. de ſponſ.* non habet locum in hoc caſu: ut probavi diſput. præced. n. 3. ubi tripliciter limitata eſt *illa lex*. Nec obſtat doctrina communis n. 1. allegata aſſerens prohibitionem matrimonii clandeſtini factam *d. c. fin.* extendi ad ſponſalia: nam *Hoſtienſis ibi*, quem reliqui ſequuntur, fatetur, id non haberi ex illo textu ſed ex ratione textus, eo quod eadem inconvenientia ex ſponſalibus clandeſtinis ſequantur, cum ſæpe per copulam, & alios actus, transeant in matrimonium: quod cum hodie ceſſarit per decretum *Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de matr.* illa prohibitionis ratio ceſſat, neque etiam ſunt prohibita jure novo: nam Tridentinum ſolum prohibuit matrimonium clandeſtinum, nec id decretum ad ſponſalia extenditur, ut probavi diſp. præced. n. 1. Quare hanc ſententiam tenet *Veracruz append. ad ſpecul. dub. 9. fol. 44. §. Ad dubium, Lud. Lop. 2. p. inſtr. matér. de matr. c. 37. f. 1041. col. 2. Salzedo præſt. c. 73. verſ. 9. §. Ex quibus, & §. Eſt ſaus*, intelligit conſtitutionem Tolet. pro priori ſent. allegata, quando ſponſalia ſunt prohibita ob canonicum aliquod impedimentum, ut inter conſanguineos, & *Petr. de Ledeſ. de matr. q. 45. ar. 5. circa ſecundum punctum, dub. 4.* refert Cardinalium responſum continens præceptum Trid. ut matrimonium celebretur coram parocho & teſtibus, non extendi ad ſponſalia.

DISPUTATIO XIV.

Utrum notabilis contrahentium vero animo ſponſalia diſparitas ea irritet: vel ſaltem cauſam juſtam irritandi præbeat, quando contrahens conſcius erat conditionis alterius?

SUMMARIUM.

Rationes ad probandum non valere ſponſalia inter impares: num. 1.
Vera ſententia, valere, 2.
An poſſint irritari quando timetur magnum ſcandalum, aut peſſimus exitus, & odia, quamvis contrahentes pares ſint, 3.
Quid quando pater contradicit, 4.
Solvuntur argumenta, explicatur an promiſſio prodiga obliget, 5. junctio num. 1.

1 VIdentur ea ſponſalia, aut irrita, aut ſaltem irritanda eſſe: quia ſi quis prodige meretrici ſpondeat pro corporis uſu, non tenetur implere ita prodige, cum ſit peccatum, ut docent *Sotus lib. 4. de juſtit. q. 7. art. 1. ad 5. verſ. An vero contra, Ledeſm. 2. p. 4. qu. 18. art. 5. §. Circa 2. memb. fol. 264. c. 2. Mercado lib. 6. de contr. cap. 15. §. Todas las veſtes, Palac. lib. 5. de contr. cap. 11. fol. 479. verſ. Verum adhuc difficultas urget. Salon. 2. 2. qu. 62. art. 5. contr. 4. poſt concl. §. Ex quo ſequitur, Baunez eod. art. 5. dub. 5. concl. 3. Man. 2. tom. ſum. c. 49. n. 4.* & addunt *Sotus, Palacios, Baunez, Manuel* eſſe verum, quamvis promiſſio jurumento firmetur: ſed promiſſio matrimonii facta notabiliter impari, eſt prodiga, ergo non obligat, 2. quia quoties in contractu eſt notabilis deceptio, omni jure reſcindendus eſt: & ſi dicas non eſſe deceptionem, quia contrahens noverat inferiorem alterius conditionem, contra, quia promittens immodicum per modum præetii, & contractus, non tenetur totum ſolvere, ſed juſtum & æquale pretium, ſed immodice promittit, & non gratis, ſed per modum contractus, quæ ſpondeat notabiliter impari, ergo non tenetur.

2 Dicendum tamen eſt valida eſſe ſponſalia, quia cum contrahens ſit dominus rei promiſſæ, & conſcius notabilis exceſſus, videtur velle libere cedere jure, & exceſſus donationem facere. Sic tenet *Veracruz 3. p. ſpecul. art. 19. concl. 2. Cord. in qu. lib. 1. qu. 13. d. 1. & P. Molin. tom. 2. de juſtit. tr. 2. diſp. 271. fol. 113.* ubi optime hoc explicat dicens, quamvis puella nobilis, & dives male faciat ſponſalia contra patris voluntatem cum ignobili, aut paupere contrahendo, eo quod executio eſſe nequeat ſine aliorum ſcandalo, & ipſius puellæ dedecore, & ita prodige, & cum peccato promiſerit, teneri, & neminem audere affirmare oppoſitum, eo quod eſt contra Eccleſiæ praxim, hujuſmodi fidem ſervare cogentis.

3 Hoc tamen limitandum eſt, niſi ſcandalum magnum ex eo matr. probabiliter timeatur. Quia virtus juſtitiæ obligare nequit ad actum, qui ſine peccato impleri non poteſt, ſed contrahere matr. cum magno illo ſcandalo eſt aperte lethalis culpa, cum notabiliter charitas proximi lædatur, diſſolvatur parentum pietas, & cognatorum amicitia, & colligitur ex *c. Cum in tua, de ſponſ.* ibi, *de fama, vel ſcandalo*, & ita docet ibi *Gloſſ. v. Scandalo, Panor. ibi num. 4. Alex. de Nevo nu. 6. propoſ. nu. 2.* ibi docent, quando vehementer ſcandalum timetur ex matrimonii contractu inter contrahentium conſanguineos, poſſe, & debere judicem interdicere matrimonium: *Idem Panormitanus, cap. Requiſivit de ſponſal. nu. 4.* ubi ait. Eccleſiam compulſuram non eſſe implere ſponſalia, quoties rixæ inter parentes contrahentium probabiliter timentur. Et melius id expreſſe docent *Felin. conſ. 26. nu. 21. Navar. ſumm. cap. 16. n. 18. Menoch. conſ. 1. nu. 44. & 66. volum. 1. Cord. d. qu. eſt. 3. paulo poſt princ. verſ. Dixi regulariter, Guttier. lib. 2. qu. canon. cap. 20. num. 20. & 23. Capua lib. 1. deciſ. cap. 78. n. 3. Lud. Lop. 1. p. inſtr. cap. 76. in 2. edit. fol. 183. col. 2.* Et loquuntur *Navar. Guttier. n. 23. Cordub. Capua, Lud. Lop.* Quamvis ſecuta ſit virginis defloratio ſub ea ſpe matrimonii futuri, quod quidem veriſſimum eſt propter rationem dictam. Et idem dicendum eſt, licet nulla ſit inter contrahentes diſparitas, ut bene *Ludov. Lop. ibi*. Caute tamen conſiderandum eſt hoc ſcandalum, non enim quodcumque ſufficiet; ſæpe enim vanæ minæ jactantur, terroreſque opponuntur, & diſcordiarum pericula intentantur, quæ tamen experientia teſte, ubi deferbuit ille impetus, & matrimonium celebratur in nihilum recidunt, facileque animi conciliantur, ſedaturque omnis tempeſtas. Idem dicerem quoties eſt timor probabilis peſſimi exitus, ut odii capitalis inter ipſos contrahentes, ſic *Menoch. eod. num. 66. Gutier. num. 23.*

4 Hinc infertur, quod docet *Guttier. eod. qu. n. 23.* poſſe patrem impedire ſponſalia filii contra ejus voluntatem inita, ſane intelligendum eſſe nempe quando ſcandalum dictum probabiliter timetur, alias enim cum filius teneatur fidem ſervare, ut dixi nu. 2. non poterit pater tuta conſcientia impedire, ne filius ſuam obligationem exequatur.

5 Ad 1. dico, eam doctrinam negandam eſſe, ut bene negat *P. Molin. allegatus n. 2.* quia licet promiſſio ex liberalitate proceſſerit, at executio non eſt ex liberalitate, ſed ex debito, quare cum in executione nulla ſit prodigalitas, ſed debiti impletio, tenetur in utroque foro integre implere, non obſtante promiſſionem prodige, & cum peccato veniali factam eſſe: ſicut promittens ſeminæ pecunias, ut tradat corpus, promittendo peccat, tenetur tamen implere: unde poteſt dici eſſe peccatum ex parte modi promittendi, non ex parte rei promiſſæ. 2. dico, eſto ea doctrina vera eſſet, adhuc eſt diverſa ratio, nam promittitur pecunia in pretium, nec eſt animus libere donandi, quæ ideos hic contingunt. Ad 2. dico non eſſe deceptionem, quia contrahens diſparitatem noverat, nec obſtat replica, quia non promittitur per modum pretii.

DISPUTATIO XV.

Qui ſint habiles ad ſponſalia contrahenda?

SUMMARIUM.

Qui ſint habiles ad ſponſalia num. 1.
Omne impedimentum perpetuum, quod impedit matrimonium, licet non dirimat, dirimit ſponſalia num. 2. & quid ſi eſt temporale, pro illo tempore, eodem num. 2.

1 HActenus de promiſſione, quæ eſt prima conditio ad ſponſalia requiſita, egimus: jam de contrahentium habilitate, quæ eſt 2. conditio, agendum eſt. Hæc autem habilitas in 2. conſiſtit: alterum eſt, ut contrahentes nullo impedimento affecti ſint: & de hoc eſt diſput. præſens: alterum vero, ut ætatem jure præſcriptam habeant, & de hoc duplici diſput. ſeq. erit ſermo. Sit igitur concl. Illæ ſolæ perſonæ habiles ſunt ad ſponſalia, inter quas conſiſtere poteſt matrim. ratio eſt manifeſta, quia ſponſalia ſunt promiſſio futuri matrimonii, ergo inhabiles ad matrimonium ſunt inhabiles ad ſponſalia.

2 Obſervandum tamen eſt, quamvis impedimentum minime dirimat matrim. ſed ſolum impediat licite contrahi, diſſolvere tamen, & prorſus irrita reddere ſponſalia, ſi ipſa præcedant, & ratio eſt, quia promiſſio rei illicitæ obligare non poteſt, ſed dum adeſt impedimentum impediens, eſt illicitum matr. ergo ſponſalia, quæ ſunt ejus promiſſio, obligare nequeunt, ſed prorſus irrita erunt. Sic *P. Soto lect. 18. de matrim. §. Ad ſponſalia, Navarr. lib. 4. conſ. to. 1. de ſponſ. in 1. edit. conſ. 38. a n. 6. in 2. conſ. 5. a n. 6.* ubi la'e probat invalida eſſe ſponſalia Catholici cum hæretica, quia illicitum eſt cum ea contrahere matrim. quamvis validum ſit. Hæc tamen accipienda ſunt quando impedimentum eſt perpetuum, ſecus enim quando eſt temporale: nam impuberes contrahere poſſunt ſponſalia, cum tamen pro tunc non poſſint contrahere matrim. Similiter qui vovit caſtitatem ad tempus, non poteſt licite pro eo tempore matrimonium inire, valide tamen contrahit ſponſalia, & conſtat ex *l. Non ſolet, 10. ff. de his, qui notant infam.* ubi notat *gl. verb. Non nocet, & ibi Bald. n. 2. Navar. l. 4 conſ. in 1. edit. tit. de conſang. conſ. 3. n. 7. Greg. Lop. par. 4. to. 1. ante l. 1. fine, Gutier. de jurament par. 1. cap. 51. nu. 9. Azebedo lib. 5. recop. to. 1. lib. 1. nu. 17. P. Greg. ſyntagm. juris par. 2. lib. 8. cap. 5. n. 4. Petr. de Ledeſ. de matr. qu. 47. art. 15. dub. 2.* Rutius hoc intelligendum eſt, niſi promiſſio eſſet contrahendi pro eo tempore, quo adeſt impedimentum, ut qui per biennium promiſit caſtitatem, ſi daret fidem de matrim. ſtatim contrahendo animo illud conſummandi intra id tempus, illicite promitteret, ac proinde ſponſalia eſſent nulla.

DISPUTATIO XVI.

Quæ ætas deſideretur in contrahentibus, ut habiles ſint ad ſponſalia?

SUMMARIUM.

Quot difficultates ſint diſputandæ, num. 1.
Septennium completum petunt ſponſalia, & ſatis eſt, ſi ultima dies incepta ſit, & ſeptennio præſumitur rationis uſus, 2.
Quid ſi ſeptennio ambo, aut alter uſu rationis carent, & explicatur l. In ſponſalibus ff. de ſponſal. 3.
An exigatur, ut ſeptennium illud metaphyſice completum ſit, 4.
Si a minoribus ſeptennio contrahantur ſponſalia, non valent, niſi poſtea ratificentur, 5.
Quæ ſint ſigna hujus ratificationis, an habitatio mutua, jocalium miſſio, &c. & exigatur expreſſa ratificatio, ubi non ſimul habitant, 6.
An ut hæc ſigna ratificent priora ſponſalia invalida, exigatur contrahentes noſſe fuiſſe invalida: & ſimiliter ad ratificandum profeſſionem, vel votum invalidum, & quid ſi exiſtimans fuiſſe invalidum, demo vovat, 7.
Poſt num. 7. invenies alia ſummaria.

QUatuor difficultates continet præſens diſputatio. I. eſt, quæ ætas neceſſaria ſit ad ſponſalia. II. An malitia ſupleat ætatem. III. An ſatis ſit quæcumque ætas, malitia ætatem ſupplente. IV. An ſatis ſit, ita malitia ſuppleat ætatem, ut puer capax ſit lethalis culpæ. 1

Difficultas I. An ſeptennium completum deſideretur ad ſponſalia. Videtur enim non eſſe præſcriptam ætatem per *l. In ſponſ. contrah. 14. de ſponſ.* ibi, *in ſponſalibus contrahendis ætas contrahentium definita non eſt, ſicut in matrimoniis*. Sit I. concluſ. ſeptennium completum deſideratur in ſponſalibus contrahendis. Fatentur omnes, & conſtat ex *c. Litteras*, ibi, *antequam ſeptimum annum compleſſet, & c. Acceſſit de deſpon. impub.* ibi, *antequam ſeptimum annum compleſſet, & c. Ad diſſolvendum eod. tit. & l. in ſponſalibus contrahendis, fin. ff. de ſponſ. & l. fin. to. 1. p. 4.* & ratio eſt juxta *D. Th. 4 d. 27. qu. 2. art. 2.* quem omnes ſequuntur, quia ſeptennio completo incipit communiter rationis uſus, & libertas. Ut manifeſte probatur *ex l. Si infanti, 4. §. ult.* juncta, *l. Potuit, C. de jure deliber.* nam *illa l. Potuit*, dicitur requiri voluntatem pupilli, ut ipſi acquitatur hæreditas, & *Si infanti, §. ult.* dicitur poſſe majorem ſeptennio acquirere. Ergo ſupponit habere voluntatem, & *d. l. In ſponſ.* ibi, *ſi modo id fieri ab utraque perſona intelligatur*, ideſt, *ſi non ſint minores, quam ſeptem annorum*. Item qua alias non poſſet jus canonicum præſcribere ſponſalia tunc contracta valida eſſe, cum abſque propria contrahentium voluntate conſiſtere nequeant, & voluntas libera non ſit, ubi deeſt uſus rationis: & ſeptennio hunc advenire, ultra alios late probat *Mendoſ. de ætate minor. c. 4. n. 2.* Hinc colligitur ratio, cur jus canonicum eamdem ætatem ad ſponſalia in viris & feminis præſcripſerit, cum tamen diverſam ad matr. petat: quia ad ſponſalia ſufficit rationis uſus, qui eodem tempore viris, & feminis advenit: ad matrim. vero potentia generandi deſideratur, quæ tardius in viris reperitur: hanc rationem reddit *D. Th. art. 2. ad 3.* Sufficit tamen, ſi ultima ſeptennii dies non ſit completa, ſed incepta, & hoc favore matrimonii, ſicut favore teſtamenti: idem ſtatutum eſt *l. Qua ætate ff. de teſtam.* non enim eſt minus favorabile matrimonium, quam teſtamentum. Sic *Covar. 4. decret. 1. p. c. 2. n. 2. Mendoſ. de ætate minori, c. 14. n. 11. Enriq. l. 11. de matrim. c. 13. n. 2. Ludov. Lop. 2. p. inſtr. de matrim. c. 37. fol. 1039. col. 2. fin.*

Intellige tamen, ſi ſeptennes uſum rationis habeant, ſi enim aut uterque, aut alter illum adeptus non ſit, ſponſalia ſunt irrita: atque intelligitur *l. In ſponſ. contrah. ff. de ſponſ.* dum ait non eſſe præſcriptam ætatem ſponſalibus, ſicut matrimonio: nam iſi matrimonio ſemper ſufficit ætas præſcripta jure; in ſponſalibus autem non ſemper: ſæpe enim ſeptennio completo deeſt rationis uſus. Sic *Gloſſ. ibi, fin. Goffred. ſum. tit. de ſponſ. impub. n. 3. Martin. de Garatis inter conſilia matrim. Zilleti conſil. 15. num. 7.* 3

Rogabis tamen an neceſſarium ſit, ut ſeptennium omnino completum ſit, vel ſat ſit moraliter completum eſſe, quia parum deficit: quod dubium proceedit, quando non conſtat malitiam ſupplere ætatem; nam quando conſtat, id diputabimus n. 8. & 9. Et quidem aliqui cenſent ſufficere moraliter completum eſſe, ut ſi duo vel tres dies deficient: quia quod parum diſtat a re, parum, aut nihil diſtare videtur, teſte *Ariſt. & Phyſ.* ſic videtur ſentire *D Th. 4. d. 27. q. 2. art. 2. ad 7.* quem ſequuntur *D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 18. init. Silv. v. Sponſal. q. 2. d. 2.* ubi *Tabien. q. 4. n. 5. Turrecr. c. Ubi non eſt, n. 2. fin. 30. q. 2. Perez l. 5. ord. t. 1. l. 1. fol. 6. §. 2. opinio, Barth. a Ledeſ. de matr. dub. 11. fol. 1204. Lud. Lop. 2. p. inſtr. de matr. c. 37. f. 1039.* ubi ait valere ſponſalia contracta a proximis ſeptennio, quia quod parum diſtat a re, niſi diſtare videtur. Sed revera non eſt hujus ſententiæ: quia expreſſe ait; quando malitia ſupplet ætatem. Item expreſſe docent, quando duo, vel tres dies deficiunt. *Jo. Andr. c. Litteras, n. 2. de deſponſ. impub. Henric. c. Acceſſio, de deſp. impub. nu. 2. & 3. Vega l. 6. ſum. caſ. 101.* Idem dicit, licet deſit hebdomada, *Man. 1. t. ſum. in 2. edit. c. 244. n. 2.* Idem ſi deſit aliquid amplius hebdomada, docent *Sot. 4. d. 27. 2. art. 2. ad 3. Vivald. candel. materia de ſponſ. 1. p. n. 15.* Idem *Victoria ſum. de matr. n. 284. Veracruz 1. p. ſpecul. art. 16. §. Primo ſponſalia*, ubi dicunt, valere ſponſalia,

salia, quando contrahentes septennio nimis propinqui sunt: idem *l. finalis, tit. 1. p.* ibi, *siete annos, o poco menos*. Verum probabilius mihi est, exigi septennium metaphysice completum, ubi de malitia ætatem supplente non constaret. Probatur, quia vel una die deficiente, vere non diceretur septennium completum, sed inceptum. Item quia ad testamentum, in quo requiruntur quatuordecim anni completi, si una dies deesset, non valeret testamentum: & ita *l. Qua ætate, ff. de testam.* tanquam quid specialiter notandum, definitur sat esse, ultimam diem anni decimi quarti cœptam esse, similiter non valeret professio, si una dies deficeret ad decimi sexti anni complementum. Ita tenet *Alex. de Nevo c. Litteras, de despons. impub. fin.* & videntur tenere *Covar.* & *DD. nu. 2. in fine allegati*, qui tanquam quid speciale dicunt favore matrimonii satis esse, ultimam diem septennii inchoatam esse.

5 II. Conclusio, si uterque, vel alter contrahens minor septennio sit, nec malitia suppleat ætatem, sunt nulla sponsalia: nisi post legitimam ætatem expresse, vel tacite ratificentur. Sic definitur *c. Litteras, c. Accessit, de despon. impub.* & *c. unic. in pr.* & §. *Porro, eod. tit. in 6.* & ratio est, quia sponsalia sunt promissio mutua, ergo si saltem alter defectu ætatis incapax sit promittendi, corruent sponsalia.

6 Hujus autem tacitæ ratificationis signum erit, si adveniente legitima ætate contrahentes simul habitent, habetur *cap. unic. de despon. impub. in 6. initio*. Quia ex cohabitatione præsumitur ejusdem voluntatis perseverantia. Sufficit autem si hæc mutua habitatio fit in domo viri, vel mulieris, vel cujusque: ut docent *Hostien. cap. Litteras, de despon. impub. prope fin.* & *ibi Jo: Andr. fine, Ant. n. 5. Alex. de Nevo nu. 7.* & *8. Francus d. c. unico, in princ. n. 3. Brun. de sponf. concl. 5. n. 1. habetur tom. 9. tract.* Si autem non simul habitent, non intelligiuntur consentire, nisi verbo, vel facto eorum, liquido appareat ipsos in eadem voluntate persistere. Habetur expresse *d. c. unic.* ubi *Gloss. verb. Verbo*, inquit, ut quia facti majores vocant sponsos: idem *Rosella verb. Impedimentum impedim. 13. nu. 8. Angel. Matrimonium 3. impedim. 24. nu. 12. Silvest. Matrimonium 8. q. 14. dict. 8. Anton. Cucus lib. 5. instit. majorum to. 10. nu. 12.* Facto vero censentur ratificare, ut quia post septennium simul jacent, vel se osculantur ut sponsi: *Glos. d. c. un. v. Vel facto, Rosell. Silv. Ant. Cucus,* & *Brunel. proxime cit.* item tacto, ut si alter alterius domum petit, vel mittit munuscula a sponsis mitti consueta. Sic *Gloss. c. Litteras, v. Placere, de despon. impub.* & *ibi Anchar. n. 8. Alex. de Nevo num. 8. Præpos. n. 2. Ang. n. 12. citato:* de qua munerum missione, & subarrhatione, quando sit signum sponsalium, vel matrimonii, dicemus late infra tota disp. 22. Hinc infertur minus bene aliquos sentire dicentes, ubi deest mutua habitatio, exigi expressum consensum. Hi sunt *Archid. d. c. un. n. 3. Host. d. c. Litteras prope fin.* & *ibi Alex. de Nevo n. 8.* Sed contrarium colligitur ex *d. c. unic.* ubi deciditur, quando contrahentes non simul habitant, satis esse verbo, vel facto ostendere eamdem voluntatem permanere, si facto, ergo satis est consensus tacitus; & ita expresse rejecta priori opinione tenent *Jo: And. d. c. unic. n. 4.* & *ibi Domin. ante §. Idem quoque, Francus ibi in princ. n. 5.* & videtur tenere *Ant. d. c. Litteras, n. 5.* Hæc autem omnia accipienda sunt si adsit internus consensus, illo enim deficiente, quamvis ex iis signis præsumantur in foro externo sponsalia, non erunt tamen valida in foro conscientiæ.

Id tamen noverim, tunc hæc signa inducere tacitum consensum, quando contrahentes noritiam habent sponsalium tempore infantiæ initorum: ubi enim ea ignorantur, nullus consensus reperiri potest: nihil enim volitum, quin præcognitum. Sic *Anchar. c. Litteras, de despon. impub. nu. 8. Francus c. unic. eod. tit. in 6. in princ. nu. 5. Brunel. de despon. concl. 5. n. 1.* Exigitur etiam, ut norint sponsalia illa tempore infantiæ celebrata, fuisse nulla: si enim ex errore, quo putabant esse valida, ea ratificent, nihil agunt: quia error tollit consensum, *l. Si per errorem, ff. de jurisd. omn. jud.* sic *Francus ibi*. Et probatur, quia ut professio invalida firmetur per actus tacitam professionem inducentes, exigitur, ut profitens norit priorem professionem fuisse nullam, & velit eis actibus eam ratificare, ac si denuo emisisset: ut docet *Nav. l. 3. cons. tit. de regul. in 1. edit. cons. 36. n. 3.* & *cons. 37. n. 2. in 2. cons. 35. n. 4.* Item probatur, quia si quis invalide religionem voveat, & postmodum ex ignorantia ratificet non manet obligatus, sed oportet, ut velit ratificare habita notitia nullitatis prioris voti: ut bene docent *Rosel. Votum 2. n. 13.* & *Matrim. 4. n. 5. Silv. Matr. 4. §. 10. Nav. sum. Latin. c. 12. nu. 71.* Similiter si quis dubio motus an votum a se emissum fuerit validum, & ob id denuo voveat, non tenebitur ad votum, ubi sciverit prius votum fuisse nullum, nisi constet voluisse ita se obligare, quamvis sciret prius votum irritum fuisse: quia ea ratificatio fuit ex errore, nec censendum est habere absolutum vovendi animum, sed ex suppositione falsa valoris prioris voti; ut docent *Cord. sum. q. 14. 144 Man. 2. to. sum. c. 99. nu. 7. Vega l. 5. sum. cas. 97.* & *105.* ergo similiter ad ratificandum priora sponsalia invalida, erit necessaria scientia nullitatis illorum.

Ad argum. contrarium constat ex dictis n. 3.

S U M M A R I U M.

An malitia supplcat ætatem, 1. opinio negativa, n. 8.
2. Verior, n. 9.
Quorsum deserviit præscriptio septennii ad sponsalia, n. 10. & *11.*
Solvuntur argumenta nu. 12.
Post quem invenies reliqua summaria.

D Ifficultas II. Utrum in sponsalibus malitia suppleat ætatem: id est an valeant sponsalia ante septennium, si eo tempore rationis usus contrahentibus adsit. Duplex est sent. I. negat. Primo, quia ubi certa ætas jure præscribitur, præveniri nequit, ut constat in professione & testamento. 2. Quia si valent sponsalia, si ante septennium discretio adsit, & post septennium non valent ea deficiente, ergo perperam jus rescriptit septennium, sed consultius decideret valere sponsalia ab habentibus rationis usum contracta. Sic tenent *Abb. c. Juvenes, n. 5.* & *c. Gemma nu. 6. de sponf. Marian. Soc. cons. 3. vol. 1. Rosella v. Impedimentum imped. 13. nu. 9. Angel. v. Sponsalia, nu. 5.* & clarius *Matrimonium 3. imped. 14. nu. 2. Bru. de sponf. concl. 4. nu. 5. Alex. Carrier. lib. 1. de sponf. c. 7. uterque habetur tom. 9. tract.* idem videntur tenere *Host. summ. tit. de sponf. nu. 5.* & *8. vers. Effectus, Arch. c. un. de desponsat. impub. in 6. ante n. 1.* & *ibi Domin. §. 1. Henric. c. Accessit, de despons. impub. n. 2.* & *3.* ubi dicunt tantum malitiam supplere ætatem, quando femina ante septennium fuit tentata ad copulam, tunc enim dicunt oriri publicam honestatem propter copulæ intentionem per *c. Juvenis, de sponsal.*

II. Sententia multo verior affirmat malitia supplente ætatem, valide contrahi sponsalia ante septennium. Probatur ex ratione *Jurisconsulti, l. In sponsal. l. 1. ff. de spons.* dicentis satis esse sponsos quid agant, intelligere, ergo si puer præcocis ingenii, & judicii, quid in hoc contractu agat, ante septennium intelligat, erit validus. 2. Quia cum sponsalia sint via, & dispositio ad matrimonium, eo ipso, quid jus disposuit in matrimonio, malitiam supplere ætatem, *c. de illis el 2. de desponf. impub.* censetur idem in sponsal: disposuisse per *l. Oratio, ff. de sponf.* & ita tenet ex Theologis *D. Thom. 4. d. 27. q. 2. art 2. ad 7. D. Anton. 3. p. t. 1. c. 18. init. summ. consil. l. 4. t. 1. q. 5. Sot. 4. d. 27. q. 2. a. 2. ad 3. Ledef. 2. 4. q. 45. art. 2. Enriq. l. 11. de matrim. c. 13. n. 9. Philiar. de offic. Sacerd. t. 1. p. 2. l. 2. c. 1. Vivald. candel. 1. p. tit. de sponf. n. 14. Bart. a Ledef. de matr. dub. 11. f. 1240. Vegal. 6. sum. cas. 101. P. de Ledef. de matr. q. 43. art. 2. dub. 2. Lud. Lop. 2. p. instr. materia de matr. c. 37. f. 1039. Manuel 1. tom. sum. 2. edit. c. 244. n. 3.* & ex Jurisperitis *Gl. c. Juvenis, de sponsal. v. Dubia,* & *c. Sponsa, eod. tit. fin.* & *30. q. 2. in sum. v. Sponsalia Goffred. sum. tit. de Sponf. n. 8.* & *11. Jo: Andr. d. c. un. de desponf impub. in 6. n. 1. ubi Franc. in prin. nu. 2. idem Jo: And. d. c. Juvenis, nu. 9.* ubi *Innoc. init. Ant. n. 5. Card. n. 1. Anchar. nu. 4. Calder.* & *Jo. de Fano*, quos refert, & sequitur *Alex. de Nevo, ibi nu. 19. Præpos. n. 7. Bald. cons. 44. vol. 4. Pisana, vers. Sponsalia, n. 3. ubi Silv. q. 2. d. 2. Tabien. q. 4. n. 5. Arm. n. 4. Turrec. c. Ubi non est, n. 2. fin. 30. q. 2. lex finalis t. 1. p. 4. Cov. 4. decr. 1. p. c. 2. n. 1. Mart. de Garat. inter consilia matr. Zileti, cons. 15. n. 7. Costan. de sponf. tit. Qui possint contrahere sponsal. n. 2. habetur t. 9. tr. Ant. Cucus l. 5. instr. major. t. 10. n. 11. Guttier. authen. Sacramenta puberum n. 5. Si adver. vend. Perez l. 5. Ordin. t. 1. l. 1. f. 6. vers. 2. opinio, A. Gab. tom. 3. comm. l. 17. in mea edit. f. 312. vers. Sponsal.*

Ex his infertur, ideo jus præscribere septennium, ut præsumatur rationis usus: in ea enim ætate nisi contrarium manifeste appareat, præsumitur rationis usus in puero, non autem ante eam ætatem. Sic *Jo: And. c. Juvenis, de sponsal. n. 9. ubi Anch. n. 4. Alex. de Nevo, n. 19.* & *c. Litteras, de desponf. impub. fin. Henr. c. Accessit, n. 2. de desponf. impub.* & ratio est, quia in dubio, & ubi contrarium non apparet, inspicimus annorum numerum, alias frustra jus annos præscripsisset. Idem ex Theologis docet *Lud. Lop. 2. p. instr. de matr. c. 37. f. 1039. col. 2. fin.*

Tandem infertur, ante septennium non esse sponsalia, nisi probetur contrahentes esse doli capaces: septennio tamen completo esse sponsalia, nisi probetur non esse doli capaces. Sic *Henric. c. Accessit, nu. 2. de desponf. impub.*

Ad 1. argumentum dico id esse verum, nisi jure expressum sit contrarium in aliquo casu æquivalenti, ut contingit hic facti explicui num. 9. Ad 2. constat ex dictis num. 10. 11. præscripsit enim jus eam ætatem, ut tunc usus rationis, & sponsalia esse vera præsumatur, & non antea.

S U M M A R I U M.

An in quacumque ætate præveniatur usus rationis, sint vera sponsalia. 1. opinio negans num. 13. & *ibi quando dicatur infans proximus septennio. 2. Verior num. 14.*
Post quem invenies reliqua summaria.

D Ifficultas III. An in quacumque ætate malitia prævenit, valeant sponsalia, ut si via ordinaria, vel per miraculum accelereturus usus rationis longe ante septennium: vel necessarium sit, una cum rationis usu ætatem septennio proximam esse. Aliqui censet, una cum usu rationis exigi ætatem septennio proximam, nec sufficere usum rationis antea habitum. Prob. 1. quia ideo jus præscripsit septennium completum, ut id exigatur, vel saltem, quod moraliter potest dici, septennium, quod est ætas septennio proxima 2. Quia in matrimonio non satis est, ut malitia suppleat ætatem id est, ut potentia generativa reperiatur ante pubertatem, sed ultra requiritur discretio, & prudentia requisita ad conjugalem consensum: ut constat ex *cap. finali, de desponf. impub.* ubi hæc malitia nuncupatur prudentia, & ex *c. Continebatur, eod. tit.* ubi textus ponderat copulam cum ætate pubertati proxima, ut matrimonium ante pubertatem initum valeat: ergo similiter in sponsalibus non satis erit usus rationis quicumque, sed talis qualis septennio, vel proxime advenit. Pro hac sententia videntur ex Theologis *D. Th. D. Ant. Ledef. Bart. a Ledef. Lud. Lop. Vega citati n. 9. Victor. sum. de matr. n. 284. Veracr. 1. p. Spec. a. 16. vers. Primo sponsalia,* & ex Jurisperitis *Gloss. 30. qu. 2. in sum. Verb. Sponsal. Goffr. sum. t. de sponf. num. 11. Innoc. A. Card. Turrecr. Silv. Tabiena, Garier. Perez citati eod. nu. 9. lex fin. t. 1. p. 4.* ubi omnes hi dicunt malitia supplere ætatem, quando puer est septennio proximus: & tenet expresse *Enriq. l. 11. de matr. c. 13. nu. 9. Petr. de Ledesm. de matr. q. 43. a. 2. dub. 2.* Non tamen convenit inter hos Doct. quando dicatur infans septennio proximus. Quidam enim contingere asserunt, quando deficit semestre. Sic *Innoc. c. Juvenis, init. de sponf.* & *ibi Jo: Andr. n. 9. Ant. n. 6. Anchar. n. 4. Præpos. n. 7.* Melius tamen ali sentiunt hoc prudentis arbitrio remittendum esse: in quibusdam enim citius, in aliis vero tardius accelerat. Sic *D. Thom. D. Ant. Turrecrem. Sotus, Lud. Lop. fol. 1040. col. 1. Barth. a Ledef. f. 1241. Petr. de Ledesm. Enriquez, Perez n. 9. allegati*: idem *Goffr. sum. t. de sponf. impub. n. 5. Covar. clem. Si furiosus, 3. p. init. num. 5.*

14 Probabilius tamen est, valida esse sponsalia in quacumque ætate contracta, si via ordinaria, vel miraculose usus rationis acceleretur. Prob. quia septennium non præscribitur, quasi id necessarium sit, sed quia ætate præsumit jus usum rationis advenire, ut diximus n. 9. 10. & 11. ergo si quacumque ætate ante septennium usus rationis adveniat, erunt vera sponsalia: non enim major est ratio de proximis septennio, vel multo minoribus, si eodem rationis usu gaudeant. Hanc sententiam tenet *Alex. de Nevo, cap. Juvenis, de sponf. n. 19.* ubi ait si constet de prudentia pueri 6. ætatis anno valere sponsalia: & *A. Gabr. tom. 2. comm. in mea edit. l. 17. f. 312. verb. Sponsalia*, ubi dicit esse comm. sent. valere sponsalia quadriennio contracta, si adsit rationis usus. Idem tenent aliqui, ut refert *Petr. de Ledesm. de matrim. quæst. 43. art. 2. dub. 2.* & ipse dicit eam esse probabilem.

Ad 1. argum. negatur antec. sed ideo id factum est, quia communiter tunc advenit rationis usus. Ad 2. dico disparem esse rationem, nam matrim. semel contractum, indissolubile est, & ideo ultra potentiam generandi requiritur discretio, & prudentia: sponsalia autem ab impuberibus contracta, solubilia sunt, si alter pubertatem adeptus reclamat: & ideo nil mirum est, si ad ea contrahenda qualiscumque usus rationis sufficiat.

S U M M A R I U M.

An sufficiat is usus rationis ante septennium, qui satis est, ut puer delinquat lethaliter, opinio negativa, num. 15.
2 Verior affirmans, 16.

15 D Ifficultas IV. An sufficiat rationis usus ante septennium ad sponsalia contrahenda, qui satis est, ut puer ille possit lethaliter delinquere? Aliqui negant. Sic *D. Th. 4. d. 27. qu. 2. art. 2. ad 2. Lud. Lop. 2. p. instr. cap. 37. de matr. f. 1039. Petr. de Ledesm. de matr. q. 43. ar. 2. dub. 1. Enr q. l. 11. de matr. c. 13. nu. 9.* Probat *D. Th.* quia ad delictum lethale satis est advertentia præsentis mali, nec aliqua futurorum providentia desideratur: ad sponsalia tamen, cum sit obligatio ad futurum, & perpetuum statum, requiritur etiam futurorum providentia.

16 His non obstantibus probabilius credo sufficere eum usum rationis, qui ad culpam lethalem satis est. Probatur quia is usus rationis satis est ad obligandum se per votum solemne ordinis sacri, quod tamen est perpetuum, & per votum simplex religionis, quæ est obligatio status perpetui, & major quam sponsalium, quia votum annexum ordini sacro, nullo modo solvi potest, nisi per dispensationem Pontificiam: votum etiam illud religionis indiget eadem dispensatione, vel paterna irritatione, nec potest propria pueri voluntate dissolvi: at sponsalia sola pueri voluntate puberis facti, dirimi possunt. 2. Prob. quia si ea futurorum providentia, quam postulat prior sent. desideraretur: incaute præscripsum esset septennii tempus, ea enim tenerrima ætate præsentium non habet puer providentiam, nedum futurorum: & vix eo rationis usu gaudet, ut capax sit lethalis culpæ. Pro hac sent. sunt ceteri DD. allegati n. 9. absolute docentes, usu rationis præveniente, posse sponsalia contrahi ante septennium.

D I S P U T A T I O XVII.

Utrum culpa sit sponsalia, aut matrimonium ante legitimam ætatem contrahere?

S U M M A R I U M.

Quæ sit dubitandi ratio, & *an c. 2. de despon. impub. contineat præceptum, num. 1.*
An sit culpa ante pubertatem sponsalia contrahere, opinio affirmans, 2.
2. Opinio affirmans, esse culpam ante septennium contrahere, 3.
3. Sententia verior non esse culpam, & *explicatur junctio n. 6. c. 2. de desponf. impub. n. 4.*

An sit mort. matrimonium ante legitimam ætatem celebrare, 1. opinio affirmans, 5.
Verior opinio negans, 6.
Recedendum est a propria verb. significatione, ut juris correctio vitetur, 7.

D Isputationis hujus difficultas versatur circa intellectum *c. 2. de desponf. impub.* ibi, *Districtius inhibemus: ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem canonibus determinatam non pervenerint, conjungantur: nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur.* Quod si quis dicat hæc verba minime præceptum continere, ut sentit *Joan. Andr. ibi n. 1.* aberrat profecto, quia textus dicit, *districtius inhibemus:* & ex doctrina *Archid. c. Interdixit, 32. d.* in omni prohibitione continetur præceptum, & gravibus verbis utitur Pontifex: quare merito *Hostiensis ibi, initio,* & *Alexand. de Nevo n. 2.* dicunt non esse leve contravenire: quare esse præceptum obligans ad mortale docent *Palud. 4. d. 28. q. 2. a. 1. n. 9.* & *10. Rosella Matrimonium 2. n. 6. Ang. matrimonium impedim. 16. n. 7. Silv. matrimonium 5. q. 6.* & *ver. Sponsalia qu. 1. d. 1. Tabiena matrimonium 2. q. 6. n. 7. Navar. sum. Hisp. c. 22. nu. 31. Enriquez l. 11. de matr. cap. 13. nu. 13. Petr. de Ledesm. de matrim. q. 43. a. 2. dub. 3.* Est igitur difficultas, an præceptum hoc de sponsalibus, vel matrim. intelligatur. Prius agemus de sponsalibus: deinde autem de matrim.

Dubitatur ergo, an textus intelligatur de sponsalibus, triplex est sent. I. intelligi de sponsalibus, & prohiberi non tantum ante septennium, sed etiam ante pubertatem. Et ratio prohibitionis est, ne contra bonum commune matrimonia impediantur, quando enim uterque, vel alter est impubes, oritur publica honestas, & facile puberes affecti ab eis resiliunt, impediturque, ne possint eorum consanguineis matrimonio copulari: & ex tali dissolutione discordiæ, rixæque oriuntur. Sic *Gloss. d. cap. 2. verb. Conjungantur, Host. ibi, super eodem verbo, Joan. And. n. 3. Card. ibi, ad finem, Anton. n. 7. Alex. de Nevo n. 10. Rosella matrimonium 2. n. 6.* & clarius *verb. Jejunium n. 3. Sil. matrimonium 5. q. 6.* & *verb. Sponsalia q. 3. d. 1.* ubi aliquantulum moderatur hanc sent. dicit enim intelligi de sponsalibus non motu proprio, sed aliorum persuasione contractis ante pubertatem: & dicunt *Rosella,* & *Silv.* culpam hanc esse lethalem.

II. Sent. intelligi hunc textum de sponsalibus contractis ante septennium. Prob. quia textus dicit *ante ætatem canonibus determinatam* quæ septennii est. Sic *Innoc. eod. cap. 2. Sotus 4. d. 27. q. 2. a. 2. ad 1.* Idem docent addentes esse peccatum mortale tunc contrahere sponsalia, absque legitima causa, & Episcopi licentia, *Navar. Enriq. Petr. de Ledesm. citati nu. 1.* quod explicat *Petr. de Ledesm.* pueros peccare mortaliter, si tunc habent rationis usum, & a fortiori consulentes, & inducentes eos ad contrahendum.

III. Sent. multo probabilior ait, textum non intelligi de sponsalibus, & sic nullo modo esse culpam lethalem contrahere sponsalia ante septennium. Et textum non intelligi de sponsalibus, docet *Pan. eod. c. 2. n. 5.* & *ibi Præpos. num. 2.* Et prob. quia textus dicit *non conjungantur*, at sponsalia non sunt proprie conjunctio, sed conjunctionis promissio, & cum res pœnalis, & prohibitoria sit, non est extendenda ultra proprium significatum. Quod autem non sit mortale, probatur, quia nulla irrogatur injuria tertiæ personæ, nec sacramento, cum sponsalia sacramentum minime sint: sic tenent aliqui Theologi, ut refert *Petr. de Ledesf. d. dub. 3.* idem *Manuel 1. to. sum. in 2. edit. c. 244. n. 2.* imo nec quidem venialem in hoc contractu invenio, cum nullo jure prohibeatur: & si pueri ante septennium rationis usu destituti sint, expertes sunt culpa, & nihil prorsus agunt, sed more pittaci verba proferunt: si autem usus rationis septennium præveniat, ea esset ætas canonibus præscripta ad sponsalia: ut late probavimus disp. præc. nu. 9. Quare non video, quo pacto jus prohibere potuerit sponsalia ante rationis usum contrahi.

Rursus de matr. urgentius est dubium. Quare aliqui censent, culpam esse lethalem illud ante legitimam ætatem inire. Prob. quia *is textus d. c. 2.* saltem de matr. loquitur, continentque præceptum obligans ad mort. ut ex multis probavi n. 1. Item, quia infertur sacramento injuria; redditur enim irritum ætatis defectus. Sic docent *Palud. Angel. Silv. Tabiena Navar. Petr. de Ledesm. Enriquez allegati n. 1. Manuel. 1. tom. summ. in 2. edit. cap. 244.* & addit *Petr. de Ledesm.* hoc verum esse, quamvis malitia præveniat ætatem: propter *dict. cap. 2.* prohibitionem. Moderantur tamen hanc sententiam, *Ang. Silvest. Palud. Tabiena Navar. Enriquez*, nisi ex Episcopi licentia, & justa interveniente causa matrimonium ante legitimam ætatem celebretur, ut habetur *d. c. 2.*

Mihi tamen hæc sent. certa non est, sed oppositam reputo valde probabilem, ne probabiliorem dicam. 1. quia a jure antiquo recedendum non est absque textu expresso, eo quod juris correctio est odiosa, & omnino vitanda, *l. Præcipimus, Cod. de appel.* quod adeo verum est, ut gratia vitandæ juris correctionis a propria verborum significatione recedendum sit, ut docent *Ant. cap. Cum dilectus, num. 15.* & *ibi Imol. nu. 12. de consuetud. Abb. cap. Cum olim fine, de sent.* & *re judica Felin. cap. Non potest eod. t. n. 8. vers. Limita dupliciter, Alex. cons. 85. n. 12. l. 4. Gozad. cons. 43. n. 2. Berofus c. Quoniam,*